

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Henr. Ioh. Nepom. Crantz S.C.A. Maiestat. Consiliar.  
Institut. Med. Et Mater. Medic. Vindob. Profes. Pub. Ord.  
Acad. Imp. Nat. Curios. Et Societ. Botan. Flor. Sodal.  
Materiæ Medicæ Et Chirurgicæ ...**

**Crantz, Heinrich Johann Nepomuk**

**[Wien], 1765**


**urn:nbn:de:gbv:45:1-10178**

5  
9



Landesbibliothek Oldenburg

Nr. 14, 5.  
139



HENR. IOH. NEPOM. CRANTZ  
S. C. A. MAIESTAT. CONSILIA R.  
INSTITUT. MED. ET MATER. MEDIC. VINDOR.  
PROFES. PUB. ORD. ACAD. IMP. NAT. CURIOS.  
ET SOCIET. BOTAN. FLOR. SODAL.

# MATERIAE MEDICÆ

ET

# CHIRURGICÆ

IUXTA

SYSTEMA NATURÆ DIGESTÆ

EDITIO SECUNDA

CORRECTA ET AUCTA.

---

TOMUS PRIMUS.



IMPENSIS, IOANNIS PAULI KRAUS  
BIBLIOPOLÆ VIENNENSIS

M D C C L X V.



БРИГИДА СВЯТАЯ И МАРИЯ  
СВЯТАЯ КОМПАНИЯ СВЯТОГО ПАУЛА

МАРГАРИТА МЕДИЦИНСКАЯ

ХИРУРГИЧЕСКАЯ

ЛУЧШАЯ НАУКА ДЛЯ АМБУЗАРИИ

СОВРЕМЕННОСТИ

EX BIBLIOTHECA  
OLDENBURGENSI

БИБЛИОТЕКА САНКТ-ПЕТЕРБУРГА

БИБЛИОТЕКА УНИВЕРСИТЕТА

САНКТ-ПЕТЕРБУРГА





Augustini Cipps Medic. Stud.  
delinet sculpsit Vienna.





# ILLUSTRISSIME

AC

## CELEBERRIME VIR.



*t hæc altera est, quam  
beneficiorum in me col-  
latorum dudum TIBI decrevi, opta-  
ta gratulatio! in qua nihil felicius,  
nihil animo meo magis accommodatum  
accidere posse prævidebam, quam quod*

(3

et



*et gratus esse deberem, et palam dice-  
re possem.*

*Nam etsi TU humilitate prope-  
modum nimia, in iis, quos cumulatis  
arctissime TIBI devinxisti benefi-  
ciis, gratitudinis vocem continuo com-  
primis, et memori in mente leve facti  
vestigium, quod expunctum potius cu-  
peres, superesse velis, id in mea hac  
causa, crudelior quam generosior con-  
tendere non potes.*

*Evidem neque ego, aut quae mi-  
hi aliis præclare fecisti, quanquam  
deberem, in vulgus indicare unquam  
hic constituo, aut impudenter me ama-  
re,*



re, et in capite libri TUO NOMINI sacri licentiosius me TIBI laudare, aut demum fœde TE adulari volo aut possum: ut enim prius a viribus, ita posterius a voluntate in integrum abest, et omni iugenuo viro, tum maxime austero Luxemburgo indignum; sed id solum in lucem protrahere gestio, Paterna pene cura TE meo præfuisse studio, Artem humanae saluti sacram non solum meis TE infudisse auribus, sed et ita animo inscripsisse, ut, quæ quidem ego hodie et limata et exquisita proferre possum, TUA esse clare intelligentur.

*Quæ cum ita sint, me, nec animi  
TUI gravitas prohibere voce, nec  
magnitudo, quo minus honoratus sis,  
interpellare possunt, nec, si demum  
TIBI Religio cordi est, unquam  
debent.*

*Etenim eo severitatis haud progre-  
di TU potes, ut me et falsum, dum  
sancte promisi, me eos, qui me Ar-  
tem Medicam docuerunt, in eaque  
instituerunt & promoverunt, paren-  
tum loco habiturum & honoratu-  
rum, iurasse velis, et TUO labore  
partam gloriam intercipere cogas;  
hoc enim etiam si optares, imo iuberes,  
ego*



ego sane haud sustinerem, nec obedi-  
rem, cum eo semper sim iure, ut et  
honestæ et bonæ causæ indeclinabi-  
lem, qui nec minimum quidem de  
ea alteri concedat, afferam animum.

Quapropter pro summo meo iu-  
re, et honorem **TIBI** a Discipulo  
haberi hodie, et gratias olim clan-  
culum solum habitas, et per furtum  
hinc inde actas, cum pro rerum alia-  
rum magnitudine, quas gessisti, tum  
pro mea imprimis institutione nunc  
**TIBI** persolvi etiam invitus pati  
debes; et æquo, crede mihi IL-  
LUSTRISSIME van SWIETEN,

)C 5 id



*id semel, cum et ex antiquissimo et  
candidissimo affectu persolvantur, pa-  
tere animo; alias etiam ego iam  
minus mitis, TUO severus magis  
exemplo, pro eodem meo iure, ad ca-  
piendam qualemque ex hoc, quod  
TIBI inscribo, opere laudem, TE  
cogam adigamque. Quid enim in  
illo est, et grave et ponderosum,  
quod TUUM non sit? quod non  
sit ex TUIS collegiis exscriptum,  
aut demum sic inter colloquendum, a  
TE profectum? ut mei Discipuli  
non mibi, sed TIBI obstricti esse  
debeant. Sed nonne maluisses hæc  
in publicum haud efferriri? et TUA  
et*



*et mea culpa est: cur TU adeo pa-  
rum laudis cupidus, ego TUÆ  
amans?*

*Postremo annos Discipulorum, et  
quod egregii sint, et amari merean-  
tur, labores TIBI plurimum com-  
mendo, non adeo me ipsum, aut meos:  
sive enim munus officii ad amissim  
exequar, nec laude aliqua, nec re-  
commendatione maiori dignus, fidem  
datam solum libero; sive non exacte  
adimpleam, exprobrationem et odium  
merui; illi vero nec publici muneris  
vi adstricti, nec ulla lege coacti, sed  
ab omnibus conditionibus vacui, sua*

*spon-*



sponte, omni cura studioque in Me-  
dicarum rerum cognitionem ita ra-  
piuntur, ut et studii Professores ad-  
moneant, et aliquando ad id etiam  
cogant. Non sine summa animi vo-  
luptate recordor præmaturorum in  
studiis progressum THA. BAYER,  
PHIL. MARHERR, A. KRAM-  
MÉR, quos TU IPSE in examini-  
bus miratus. Maximo cum oblecta-  
mento saepius lego illud a perspica-  
cissimo MARHERR de Actione mus-  
culorum solutum problema cathedra di-  
gnum; hos si TU amore, beneficiis  
complectaris, ut soles et debes, ultra  
exspectationem mibi gratificaris.

MATE-



MATERIAE MEDICAE  
ET  
CHIRURGICAE  
C O N S P E C T U S

Tom. I.

Classis I. Cardiacorum nutrientium	pag.
Cerealia	1
Legumina	12
Olera	17
Radices	18
Fructus	35
Animalia	62
1. Mammalia	63
2. Aves	67
3. Amphibia	77
4. Pisces	80
5. Insecta	88
6. Verines	89
7. Animalium producta	91
Potus	104
II. Cardiacorum nerveorum	107
Vis electrica	107
Animalium exhalationes	111
Terraee exhalationes	112
Vegetabilium grati vapores	114

Classis



<b>Clasf. III. Cardiacorum stimulantium</b>	pag. 120
Stimulantia simul nutrientia	120
excitantia subtilia	121
fixiora acria	128
gummi - resinae	163
Odores substantiarum singulares	187
Balsama liquida	189
artificialia	208

## Tom. II.

<b>Clasf. IV. Emollientium</b>	x
<b>V. Adstringentium</b>	13
Ex vegetabilibus	13
Ex mineralibus	47
Animalia	70
<b>VI. Attenuantium</b>	72
1. Abstersiva	72
2. Alcalescentia antiscorbutica	78
3. Incidentia salina	85
Ex animalibus	117
<b>VII. Inspissantium</b>	120
1. Ex plasticis	120
2. Coagulantia	128
Antacida, absorbentia	130
Acrimoniae alcalinae contraria	135
Acrimoniae muriaticae contraria	145
Acrimoniae oleosae biliosae putridae contraria	152
<b>VIII. Evacuantium</b>	155
1. Sudorifera	155
<b>IX. Evacuantium</b>	173
2. Diuretica	173

Clasf.



Class. X. Evacuantium	pag.	186
3. Emmenagogia et Aristolochica		186
XI. Evacuantium		191
4. Apophlegmatifonta sive errhinna et ptarmica		191
5. Emetica		209
6. Purgantia		213
XII. Anodyna et narcotica		232

### Tom. III.

Antidota generalia	I
Class. I. Venenorum acrum	27
II. ————— stupefacientium	55
III. ————— fossilium acidorum	70
IV. ————— alcalinorum	76
V. ————— drafticorum	88
VI. ————— mechanicorum	105
VII. ————— exfificantum	107
VIII. ————— heteroclitorum animalium	119
IX. ————— specie halitus perimentium	131

### MATERIAE CHIRURGICAE

### C O N S P E C T U S.

Classis I. Repercutientia	141
1. Refrigerantia	143
2. Adstringentia	145
3. Narcotica	147
II. Relaxantia	149
1. Humequantia	149
2. Emollientia	150
3. Temperantia	151
4. Anodyna	151

Class.



<b>Claff. III. Resolventia</b>	<b>pag.</b>	<b>152</b>
1. Resolventia relaxantia		153
2. ————— stimulantia		153
3. ————— attenuantia		156
<b>IV. Suppurantia</b>		<b>159</b>
1. Humida macerantia		160
2. Relaxantia		161
3. Stimulantia		165
4. Emollientia irritantia		168
<b>V. Detergentia</b>		<b>172</b>
1. Detergentia digestiva		172
2. ————— irritantia		175
3. ————— antiputredinosa		177
<b>VI. Exfificantia</b>		<b>179</b>
1. Exfificantia bibula		180
2. ————— adstringentia		181
3. ————— aromatica		183
<b>VII. Caustica</b>		<b>185</b>
1. Rubefacientia		185
2. Cathaeretica seu Escharotica		188
<b>VIII. Deplentia Chirurgica</b>		<b>191</b>



RES



RES CIBARIA  
SEV  
PRIMA CLASSIS  
CARDIACORUM NUTRIENTIUM.

CEREALIA.



**x** quibus panis parari potest a Cere  
rere CEREALIA vulgo Mater  
riæ Medicæ scriptoribus dicuntur,  
quia

*Prima ceres homini ad meliora alimenta vocato*

*Mutavit glandes utiliore cibo.*

ovid. Fastor. l. IV.

Crantz M. M. T. I.

A

AVE-



2 CARDIAC NUTRIENT.

AVENA *Offic. Botan.* Clas̄is Natur. Graminum.  
Germ. Haber. Gallis Avoine. Anglis Oats.  
Italis Biada.

AVENA *calycibus dispermis, seminibus lœvibus;*  
culmo stramineo breviori, magis nodoso, panicula  
sparsa, tum grano tenuiori oblongo distinguitur. Equo-  
rum pabulum, hominibus panes, pultes, gelatinas,  
cerevisiam, decocta, tum alia tam sanis quam ægris  
saluberrima subministrat. Mundata in farinam crassio-  
rem redacta avena GRUTUM in aqua, lacte, coqui-  
tur, in omni acrimoniam utile medicamentum & alimen-  
tum. Vitiata venenum est temulentiam & amentiam  
inferens, FABER *Strychnomania*. De necroſi florū  
cerealium consule Cl. GLEDITSCH Acad. de Ber-  
lin 1756. Cl. AYMAN *Mémoires de Physique & de*  
*Mathematique* T. III. 1760.

USUS MEDICUS. Decoc̄ta, juseula, avena-  
cea, Anglis, tum ut consumtionem prævertant, tum  
ut præsentem curent, maxime familiaria sunt; sed &  
his solum acute decumbentes nutrunt, & Itali ad tem-  
perandam quorūcunque ſalium acrimoniam plurimum  
utuntur MONTI. Tuffientibus & excoriatæ alvo pro-  
delle DIOSCORIDES. Refrigerare & humectare  
HIPP. Farinam butyro mixtam scabiem capitis fice-  
care ARBUTNOT *Practical Rules of Diet in the va-*  
*rious constitutions.* Hordeo lētior avena est.

FAGOPYRUM. *Offic. Botan.* Polygonum Clas-  
ſis Pauci-flam. Germ. Heidengrauen. Gallis Blé  
farassin. Anglis Buck-Wheat.

POLYGONUM *erectum foliis cordato-sagittatis,*  
etiam in usus alimentares adhibitum; semina triquetra  
cortice nigro tecta sunt, farinam albam tritico, hor-  
deo,



deo, secali, minus, milio tamen & panico plus nutriendem possident. Fuit hæc in panes, placentas, offas, adhibita.

**USUS MEDICUS** senibus alvo adstricta laborantibus a **PAVIO** dictatur. Farina in cataplasmatibus resolventibus & maturantibus laudatur. Succum ex recenti planta pressum illacrymantibus oculis mederi **CRATO** habet.

**HORDEUM.** *Offic. Botan.* Classis Natur. Graminum. *German.* Gersten. *Gallis* Orge. *Anglis* Barley. *Italis* Orzo.

**HORDEUM distichon.** Classicis Ordeum. Omni antiquitati celebre fuit, nam & Hebræis celebratas hordei messes sacræ paginæ, & a Lacedæmoniis adhibitum in sacris hordeum, **ALEX.** ab **ALEXANDRO**, & Græcos frugem antiquissimam hordeum habuisse, **DIONYS. HALICARNASSEUS**, testantur. Tritico minus glutinosum hordeum, facilius in membra digeritur, digestum diffatur, noto jam Romanis effectu, cum solo hordeo vesci pœnæ loco apud illos haberetur. Ita Marcellum militibus, qui male pugnaverant, hordeum dari jussisse, **LIVIUS**, de Augusto **SUETONIUS** cohortes, si quæ cessissent loco, decimatas hordeo pastas, & **POLYBIUS** etiam illis, qui timide sese gessissent, hordeum pro tritico demersum fuisse, fidem faciunt.

Sola præparatione distinctum, hordeum triplex, quod tegmine suo cereali adhuc investitum, **INTEGRUM**; quod hoc ablato nudum est, **MUNDATUM**; quod suspensa mola in minora margaritis similia granula conformatum, **PERLATUM**, audit. Ex integro cerevisia, ex mundato ptisana, duplex dicta **HIPP.** *simplex* seu *sucus*

4 CARDIAC NUTRIENT.

cus ptisanæ: *integra*, dum cum succo incoctum exhibetur granum.

USUS MEDICUS. Integrum hordeum plus detergit, plus demulcit mundatum. Utrumque decoctum morbis acutis, cum nitro, melle, utile. Cremor hordei in morbis ab acrimonia ortis, in hæmoptoë, erosionibus, laudatur. Farina anodina, maturans, in cataplasma recepta suppurandis commoda.

MAYS Offic. Botan. Clasis Nat. Graminum.

Germ. Türkischer Weizen. Gallis Blé de Turquie. Anglis Indian Wheat. Italis Sorgo turco.

MAYS. Semina magna, nuda, subrotunda, inæqualia, coloris aurei, medullæ candidæ, suavis, dulcis, habet. Americæ incola planta ubique hodie lætissime crescit in varios adhibita usus. Edulis farina, etiam panificiis apta. Ex hoc grano, licet magis viscosum non adeo facile fermentet, ARBUTNOT *Practical Rules of Diet*, Mexican tamen Cerevisiam & Spiritum ardente parant.

USUS MEDICUS apud nos vix ullus, apud Mexicanos celeberrimus, acute decumbentium communissimus, at non facillimus victus. An a lithiasi præservans, ut persuadet HERNANDEZ? Pulmentum ex ejus farina cum lacte excoctum, cui ferventi pinguedo commixta sit, in tumoribus ex odontalgia & frigore oriundis utile, KALM *Acta Suec.* vol. xiiii.

MILIUM Offic. Panicum Botan. Clas. Nat.

Graminum. Germ. Hirs. Gallis Millet. Anglis Millet. Italis Miglio.

PANICUM panicula laxa, flaccida, foliorum vaginis pubescentibus. Semina exigua, ovalia, vel flavescen-



vescentia, vel albicantia, omnium frugum fertilissima  
planta habet. Semina hæcce multum adhibita Maotis  
in cibum, Tartaris in potum, in usus alimentares  
diversa forma aliis. Panis ex milio confectus aridus,  
friabilis, unius diei ætatem habens, ingratus, Lombardis  
in usu, difficilis digestionis, pauci alimenti.

USUS MEDICUS, ubi exsiccandum, in collu-  
vie alvi serosa multum proficuus.

ORYZA. *Offic. Botan. Clas. Nat. Graminum.*  
*Germ. Reis. Gallis Ris. Anglis Rice. Ital. Riso.*

ORYZA. Jam decorticata ad nos ex Italia grana  
oblonga, striata, pellucida fere, asportantur, quæ præ-  
cipuam multis in locis almoniam constituunt. In  
nonnullis regionibus ex oryza panis fit, & cerevisiam  
ex hac, quæ vi temulenta ex hordeo factam longe su-  
peraret, pro coloniis Batavorum confectam, novit  
*Illust. L. B. van SWIETEN.* Spiritum, qui cum  
Spiritu vini certare possit, ebrietatem inducentem ma-  
gis durabilem, & corpori magis noxiam, parari ab  
Indis, *BERNIER. iter.* ARRAC hunc spiritum In-  
di, ut & omnes alias fermentatos, vocant, *SHAW.*  
Angli ex hoc, magis vero ex liquore vinofo, ex arbo-  
re cocco vulnerata destillante, fermentato, tum etiam  
spiritu ex canna saccharifera confecto, potum *Punch,*  
addita aqua, succo citri, momento nucis moschatæ,  
corticium citri, saccharo, aliquando pane tosto, com-  
ponunt.

USUS MEDICUS. Oryza alimentum est medi-  
camentosum, gratum, absque sale addito sapidum, in  
acrimoniis, hæmoptœ, hæmorragiis aliis, lacti, juscu-

## 6 CARDIAC NUTRIENT.

lis incocta, utile. In scirro, cancro ventriculi jura carnium ex oryza & mollissimis facta oleribus, *Illustr. L. B. van SWIETEN*. commendat in *Comment.* In diarrhoeis & dysenteriis *DIOSCORIDES*, *GALENUS*, laudant: & multos diarrhoea & dysenteria tum etiam lienteria laborantes in navigatione Americana servavit *COLUMBUS*. Adhæc in marasmo conferre, *ARBUTNOT* an essay concerning the nature of aliments. An ab oryza cæcitas, ut observat *BONTIUS*, & inuit *TEN RHYNE*? Turcæ, Itali cæci non sunt.

**PANICUM.** *Offic. Botan. Clas. Nat. Graminum. Germ. Bitzweitze. Gallis Panis. Anglis Panick. Italis Panico.*

**PANICUM germanicum panicula minore**, multis in regionibus nequidem notum, avium pabulum, milio multum simile, ad panificia ut alia cogi posset. Obsessos Massilienses panico vixisse *JULIUS CÆSAR*, alios etiam hujus usui assuetos, *Illustr. L. B. van SWIETEN* reliquerunt. Milio minus nutrit.

**USUS MEDICUS** vix ullus, dysentericis tamen utilis.

**PHALARIS.** *Offic. Botan. Classis Nat. Graminum. Germ. Canarienfutter. Gallis Semence de Canaris. Anglis Canary Seed.*

**PHALARIS panicula subovata, spiciformi, glumis carinatis;** semina splendentia, candida, vel subflavescens, seminum lini forma, producit. Usibus humanis inservire posset, gratissimum passeribus Canariis pabulum.

**USUS**



USUS MEDICUS nullus, contra calculum tam  
en aliquibus laudatus, an certa fama?

SECALE *Offic. Botan. Classis Nat. Graminum.*  
*Germ. Rocke. Gallis Segle. Anglis. Rie. Ital.*  
*lis Segala.*

SECALE *glumarum ciliis scabris;* veteribus in-  
cognitum, Romanis non multum in usu, septentrio-  
nalibus gentibus admodum familiare fuit. DIOSCO-  
RI DE, Rei Rusticæ scriptoribus non relatum, PLI-  
NIO mala notatur nota, cum frumentum deterium  
& nigritiam tristem appellat. Cum Briza asiatica, de-  
qua panes atros, graveolentes, fieri GALENUS, idem  
fuisse nonnulli contendunt, nondum complanata lite.  
Hodie satis notum omnibus cereale, spicam aristatam  
semper, compressiorem tritico habet, grana etiam stri-  
goflora, nudiora nigricantia, saporis non adeo dulcis,  
ut grana tritici. Cæterum magis detergens est, & pa-  
nis furfuribus remixtus non assuetis alvum movet.

Secale cornutum venenum est, gangrenam cito in-  
ducens, in variis Academiarum Actis infame declara-  
tum. *Acad. des Sciences 1710. 1748. 1752. Mé-  
moires de Mathematique T. II.*

USUS MEDICUS. Farina fecalis in cataplasma-  
tis forma in redacta locis inflammatis, ubi degeneratio in-  
putredinem metuenda, utiliter adhibetur; emollit enim  
& discutit, & potentissime putredini resistit, cum lon-  
ge citius, quam farina tritici aut hordei, acescat. Ob-  
eandem rationem ex granis fecalis, pane fecalino, de-  
cocta parantur in febribus putridis, addito succo citri,  
vini momento, si res exigit, gratissima, simul etiam  
convenientissima. Farinam solam calefactam hi, in ca-

## 8 CARDIAC. NUTRIENT.

taplasma redactam alii, cum successu partibus podagra vexatis applicari perhibent. Flores nonnullis arcani sunt ad morbos tum alias, tum maxime ad partum difficilem mulierculis nostris; sed rara confidentia superat morbum. An adeo mirabiles aquæ panis in epilepsia vires? spiritus fecalini miræ laudes dictæ T E N R H Y N E? Grata aciditate in nonnulla mineralia potentius agere ipsa aqua forti, E T T M U L L E R. Cæterum panis fecalinus vino intinctus egregie analepticus, Fr. H O F F M A N N de *præstantia remed. domestic.* Hoc maritum veneris immodico usu pene exanimem viribus & vitæ reddidit ab H E E R. Decoctum panis analepticum, B O E R H A A V E, maxime vino & aromatibus conditum.

**TRITICUM.** *Offic.* Botan. Classis Nat. Graminum. *Germ.* Weizen. *Gallis* Froment. *Anglis* Wheat. *Italis* Formento.

**TRITICUM** *hybernnum radice annua, spica mutica.* Generaliter omne granum frumentaceum ex spicis tritum, ac trituratione expurgatum olim significabat Triticum. Cereris hæc grana integra comesta, ut hordeum, difficillime digeruntur, etiam sale adjecto cocta, cum in ventriculo pondus, flatus, capitis dolorem, oculorum caliginem, alvum adstrictam GALENO, sociis & aliis attulerint, ut jam recte HIPPONCRATES triticum hordeo valentius esse, monuerit.

Habemus imo. **FARINAM** tritici, unde panis & farina *offic.* 2do. Farinam post germinationem exsiccati tritici, unde **SAPA**, qua vegetabilia loco Sacchari aut mellis, non adeo durabili connubio, coniuntur. **3tio. AMYLUM**, quod quia absque mola semper olim

pa-



pararetur, ita dictum, nihil aliud est, quam optimi tritici in nonnullis regionibus, corrupti tantum in aliis, aut etiam residuarum a farina crassa partium, sedimentum, in pastam albam, friabilem, magno labore levigatum; unde dilutum amyllum, pulvis cyprius, ad glutinandos libros gluten, quæ tamen ex solani tuberosi esculenti radicibus commodius utiliusque pararentur.  
*The Gentleman's Magazine for Sept. 1752. 1753.* Habet etiam furfures, ut & tritici flores.

Inter hæc vero omnia scitu non indigna sunt ea, quæ a Cl. BECCARIO capta sunt de farina optimi Tritici furfuribus probe repurgati, in *Bononienfi Scient. & Art. Instit. & Acad. T. II. Part. I.* experimenta, quibus edoceatur aquam ex hac una parte solvere amylaceam dicendam naturæ quoad omnia vegetabilis, aliam vero intactam relinquere atque hanc glutinosam suam originem detrectare, & per omnia sic se præbere quasi esset ab animante quopiam profecta: nam & illa in digestione, acoris indicium nullum dare, sed intra paucos dies fætere, corumpi cadaveris modo, tum liquari, effervescente cum acidis quibuscumque, & in cæteris alcalina omnia imitari, etiam in destillatione alcalicum genium magis coimonstrare observavit; nam & spiritum urinosum olei utriusque & salis volatilis tantam vim fudit, quanta ex pari cornu cervi pondere prodire solet. An inde ratio cur ex Tritico confici Phosphorus possit? an & aliæ vegetabilium substantiæ, ex quibus confectus, eandem naturam habent?

USUS MEDICUS. Aqua decocti tritici demulcens, infantum quibusdam in regionibus potus est ordinarius; an adeo utilis, quia cito acescit? ex oryza tutius pararetur. Farina ipso grano integro minus te-

## 10 CARDIAC NUTRIENT.

nax, lenta tamen, cum aqua in cataplasmatiſ consistentia cocta ad inflammata loca laudatur, cum lacte ad inovendas suppurationes Aliis: ſicca, ut & amylo, ad intertrigines, loca excoriata, eryſipelas, ſerpiginem, fudores, dum ſiccari conſilium, cum creta, ceruſſa, pulvere roſarum rubrarum, utiliter adhibetur.

Amylo inviſcans eſt acrioris ſeri, in pectoriſ & intestinorum morbiſ, tabelliſ, paſtilliſ, clyſteriibus adhibitu. Gluten, ſi liquidius & tepidum, cochleariſ mensura forbendu, ſanguinem reſcientibuſ commendat DIOSCORIDES. Furfures ſco po deſmulcente in aqua pro clyſtere coquuntur, balneis pedum emolliente ſco adduntur. Flores ad leniendas inflammatiōneſ nonnullis laudantur.

ZE A Offic. Botan. Triticum. Clasſis Nat. Graminum. Germ. Speltz. Galliſ Epeautre, An- glis Spelt. Italiſ Spelta.

TRITICUM Spelta floſculiſ lateralibuſ maſculiſ, muticiſ, involucro deſtitutiſ, plus hordeo, minus tritico nutrit, ut in medio eſſe tritici & hordei GA- LENUS dixerit. Tritico viſcidius ad obſtructioneſ magiſ diſponit, ori gratu, in panificia, cereviſiam pariter digeſtum. An Zea Græcorum Farſit Romano- rum multi diſputant.

USUS MEDICUS vix ullus, granum pauciſ officiniſ receptu, in hæmorrhagia uteri forbendu dedit HIPP.

Ex modo recenſitiſ Cerealibus noto artificio panis fit: ex Trītico maturo, non admodum recenti, nec vetuſlo, ſolo pingui enato, repurgato, nec vitiato, bene



bene pertritus, fermentatus, salitus, coctus, optimus; licet quoad diversas farinæ partes, parandi, coquendi modum, multa hujus differentia.

USUS MEDICUS suadet bis coctum, sale, aromatibus, leviter conditum, omni glutine perfecte liberum; hunc in morbis viscerum debilium optimi nutrimenti esse *Illustr. L. B. van - swieten Comment. I.* MICA panis in pultem cocta aptius infantibus alimentum, quam farina, quod matribus inculcandum. Cæterum veteribus adhuc alia recensentur frugum genera, hodie nobis non certo nota, & etiamnum mortales plurimi pane CASSAVA, ex radice Jatropha manihot venenata, confecto vivunt, alii alio nutriuntur. Et ægris suis grana SAGO, ut & gelatinam de SAGO, Angli Medici in cibum concedunt, HUXHAM. *De morbo colico Damaniorum.* Londini 1739.



## LEGUMINA.

**L**EGUMINA quasi manu & sine falce lecta, ut  
CORRAEVS:

*Agricola si quando manu cerealia capit.*

*Semina, & e terra sine falce legumina vellit.*

Cerealibus adnumerata veteribus fuere **GALENI** testimonio, dum dicit: legumina ea appellant cerealia, ex quibus non fit panis. Hodie rectius distinguuntur.

Leguminum facultates mala notavit nota **HIPPONCRATES**, & post illum **GALENUS**: flatulenta, & concoctu difficultima dicunt, haud recepta sententia. Distinxere adhuc, quae cito coctione emollientur, & vocavere *τεραμνα*, quæ minus, *ατεραμνα*, seu *δυσψανα*.

**CICER** *Offic. Botanicor. Classis Natur. Papilio: Germ. Kichern. Gallis Pois chiche, Anglis Chiche. Italis Cicerchia.*

**CICER** *foliolis serratis.* Rubrum officinale magis est, album culinare, proiniscue tamen usurpatum. Semen est sphæroideum rotundum fere, licet angulosum, piso majus. Veteribus inter cibos vilissimum, non tam cito in aqua emolliendum, difficilioris est digestionis.

UOTI

USUS



USUS MEDICUS. Ciceris vires adeo diureticas, ut renibus, & vesicæ exulceratis nocere possint, DIOSCORIDES. Nigra potissimum vim habere abstergentem, eamque adeo potentem, ut contractos in renibus calculos evidenter frangant, & comminuant, GALENUS; hos dein describunt plurimi alii, sed & cautior TOURNEFORTIUS se compertum habere, decoctum ciceris dolores atroces adferre, si in renibus, vel vesica calculus fuerit, pronunciavit. Ex diurno & frequenti hujus usu nil observatum Illustr. L. B. van - SWIETEN. Alii inter medicamenta calculum pellentia decoctum, cuius diutino & patienti usu EUGENIUS vesicæ calculos comminui, expelli LAUREMBERGIUS, affirmant, laudatissimum habent.

ERVUM, & OROBUS offic. CICER. Botan. Clasf. Natur. Papilion: Germ. Orobus. Erwei. Gallis Ers. Anglis the bitter Vetch. Italis Ervo.

CICER leguminibus pendulis articulatis. Semina ex rotundis angulosa, fusca, spadicea, amara, ingrata, uti raro veteribus, ita neque nobis in usus alimentares adhibentur. Quod suppeditent cibum ingratissimum, eumque adhuc mali succi, hinc a cibis hominum alienum ervum fuisse, monet PLINIUS, vomitiones movere, capiti stomachoque onerosum esse, genuaque gravare affirmans, quod jam antea HIPPOCRATES observaverat; alia ex ervino pane infortunia alii habent.

USUS MEDICUS internus rarus, GALENO laudatur, qui ex ervo cum melle medicamentum parari, quod in iis, quæ in thorace hærerent, expectorandis, nulli esset secundum. Ervo Augustum curatum



14 CARDIAC NUTRIENT.

tum reliquit PLINIUS. Externus frequentior, dum farina resolventibus cataplasmatibus additur. Orobiverni, seu sylvatici purpurei verni C. B. infusum, contra lumbaginem valere RITTER. Acad. N. C. Vol. X.

FABA Offic. Botan. Vicia L. Classis Nat. Papilion: Germ. Bohnen. Gallis. Féve. Anglis the Bean. Italis Fava.

VICIA caule eretto, petiolis cirrho destitutis; antiquissimis jam nota temporibus, & edulis, & salubris, etiam in paneum coacta fuit: docent Lomentum, Fabacia, PLINII. Cruda saporem leguminosum habet, qui coctione mitescit. Forma nota est. Flores fabarum subtilissimum halitum habent, etiam caput tantum, unde adagium. Ex his aqua florum fabarum in officinis. Stipites cum foliis combusti in cineres, dant salem stipitum fabarum, acrem, alcalinum.

USUS MEDICUS. Fabas pectori amicas ad tussim laudat DIOSCORIDES. Farina inter farinas resolventes recipitur, quæ & sicca, vel in cataplasma cocta adhibetur. Aqua florum fabarum cosmeticum in scopum domicellis in usu est; aqua ex tota planta, multis aliis ex siliquis, contra calculum arcana: an satis certa fide? narrant tamen BARTHOLINUS, GESNERUS. Sal, communes salis alcalini dotes, & utiles, sulphure haud enervatus, possidet. Salis vero enixi naturam in officinis potissimum habet.

LENS. Offic. Botanicorum Cicer. Clas. Natur. Papilion: Germ. Linse. Gallis Lentille. Anglis Lentils. Italis Lente.

CICER foliolis integris, stipulis indivisis; semen dat, quod ex duobus segmentis sphaericis compositum, durum, politum, obscure flavum, aut rubicundum, aut



aut nigricans. Minutulum legumen solis pauperibus in antiquitate relictum fuit, licet semper summis placuerit Philosophis. Elephantiasim, cancrum, a diuturniori ejus usu inducta, relinquere **GALENUS**, **DIO-SCORIDES**, epilepsiam alii.

**USUS MEDICUS** decocti primi lentium, ab Arabum traditione ad nos, in plurimis morbis vulgo multis, praecipuis in expellendis variolis. Sunt qui rideant, sunt qui probent. Farina, ut farina fabarum, resolvens. Infusionem lentis palustris pro infallibili contra icterum secreto habet **R A J U S**.

**LUPINUS** *Offic. Botan. Classis Natur. Papilion.*  
*Germ. Feigbohnen. Gallis Lupin. Anglis the Lupin. Italis Lupino.*

**LUPINI** calycibus alternis, appendiculis lateralibus nullis: semina, officinalia, majuscula, orbiculata, non nihil angulosa, compressa, una parte cava; foris albida, intus sublutea, & perquam amara, coctione mitescentia aliquantulum, olim edulia fuere, hodie vero e re cibaria expulsa solis officinis relinquuntur.

**USUS MEDICUS** internus multis suspectus ex **AVERRHOIS** opinione, & observatione **Sim. PAULI**. Externus multus in tumoribus, contusionibus, farinæ cum aceto, oxymelle simplici, composito, in cataplasma coctæ. In gangræna itidem extollunt Medicis, & Chirurgi in lixivio coctam, additis scordio, croco, aceto.

**PHASEOLUS** *Offic. & Botan. Class. Nat. Fab.*  
*pilion: Germ. Welsche Bohnen. Gallis Hari-*  
*cot. Anglis French Bean. Italis Fagivolo.*

**PHASEOLI** caule volubili, leguminibus pendulis,  
*compressis, torosis, seimen, formam fabarum, sili-*  
*quas*



16 CARDIAC NUTRIENT.

quas nec adeo crassas, nec lanugine obductas, in aeu-  
men desinentes, habet. Nutrimentum idem, ac fabæ,  
concedit, & quidem mollius.

USUS MEDICUS nullus. In lithiasi tamen  
LINNAEUS.

PISA. Off. Botanic. Classis Natur. Papilion: Germ.  
Erbsen. Gallis Pois. Anglis Peas. Italis Pisello.

PISA Stipulis crenatis: Subrotunda hæc semina  
in usum alimentarem adhibita, fabis præferuntur GALENO,  
quod minus flatulenta sint.

USUS MEDICUS nullus.

VICIA. Offic. Botan. Classis Natur. Papilion:  
Germ. Wicken. Gallis Vesse. Anglis Vetch or  
Tare. Italis Vezza. s. Veccia.

VICIAE filiisque sessilibus, foliis retusis, lateſcenti-  
bus, semina, difformiter globosa, nigra, ingrata, pe-  
cudam non hominum jam GALENI tempore pabu-  
lum, ni premeret annonæ caritas. Hodie in usus ali-  
mentares nunquam adhibentur.

USUS MEDICUS vix ullus. In Anglia nutrices  
incoquere puerorum potui, ad variolas, & morbillos ex-  
pellendos ALLEYNE.

Plurimi his adhuc Fœnum græcum, Papaver,  
Linum, Cannabim, Sesamum, & alia adnumerant,  
sed quod in usus alimentares non amplius adhibentur,  
& ex hac classe omnia non sunt, suis dicentur capitibus.

Lathyrus tamen esculentus aut Botanicis sativus, me-  
lius Cicercula dictus Tergestinis, et Forojuliensibus in  
cibum cedit.

OLERAS.



## O L E R A.

**A**b alendo, quod oleribus alerentur homines, antequam fruges, & carnes essent. **ISIDORUS, PLINIUS.** Est in his incredibilis saepe vis urinosi salis Betæ, Brassicæ, Atriplicis testimonio, in aliis tamen acidi ut in sequente.

**ACETOSA** *Off. Botanicorum Rumex L. Clas.*

Pauci-stam. *Germ.* Sauerampf. *Gallis* Oseille.  
*Anglis* Sorrel. *Italis* Acetosa.

**LAPATHUM acetosum**, *sexu distinctum, foliorum sagittatorum hamis brevibus.* **HALL.** Acetosa latinis, Græcis oxalis, in utraque lingua ab aciditate dicta, plures habet species, quarum tamen tantum duæ in usum culinarem & medicatum veniunt, scilicet: longifolia & rotundifolia. Juscula cum acetosa fiunt gratissima, & farcta ad manducandas carnes, pisces, ova, quæ inde gratiam acquirunt, nostris in mensis usitatisima sunt. Tota planta officinalis est; folia, radix maxime, & semen. Recentis folia grate acida, adultæ stupefacentia, senis effœta radix.

**USUS MEDICUS** in omnibus morbis, ubi humores soluti in putredinem vergunt, in febribus acutis, biliosis, putridis, in scorbuto putrido, diarrhoea, dysenteria, biliosis, eximius: imo in scorbuto cum dissolutione humorum putrida, rancida, sero lactis cum aliis incoctæ plantæ fere specificus. Miscendo acetosam & cochleariam etiam simul crescentes, in jusculis avenaceis, sese curare a scorbuto Grœnlandos, author est **BARTHOLINUS.** Scorbuticos, dum inter alimen-

*Crantz M. M. T. I.*

B

ta



ta immiscerentur folia acetosæ, quam plurimos curatos, in *Nosocom. Paris.* GEOFFROY. Folia sub cineribus in proprio humore cocta, macerata, ad maturandos abscessus laudantur. Radix acetosæ, ut etiam semen, non adeo acida, quam roborantia, in alias indicationes adhibentur. Exsiccatæ radicis infusum rubellum est, instar clareti, quod multis in scopum diæticum magni habetur.

PRÆPARATA. *Conserua, Aqua, Syrupus.*  
Aqua proscribi posset.

APIUM palustre *Off. Botan.* Classis Natur. Umbelliferarum. *Germ.* Eppich. *Gallis Ache.* *Anglis* Smallage. *Italis Appio,*

APIUM foliis caulinis cuneiformibus, in mensis non adhibetur, utpote jam veterum testimoniis suspectum, sed cultura mansuetum apium sit; id dulce, seu Celeri Italorum vocant, unde pluriima veterum loca etiam pugnantia pateant. Dicit GALENUS apium inter cætera familiarissimum esse, ori, stomachoque gratissimum: apio gratiam vulgo esse, & in condimentis gratiam habere PLINIUS; sed & idem apium defunctorum epulis feralibus dicatum steriles reddere mares, sœminasque, & comitialem morbum inducere, ex aliis scripsit; unde plantæ laus, & infamia. An recentis radicis, ob vaporosum principium, cerebro, & nervis inimicum, usus internus suspectus? Officinæ habent radicem inter V aperientes; semina quæ parva, gibba, grysea, inter IV. calida minora.

USUS MEDICUS totius plantæ diureticus, incidens, etiam infarctis pulmonibus cum melle proficuus: Radicis idem. Succus plurimis experimentis in deter-



detergendis ulceribus mirabilis, vulneribus utilis, unguentis ad cancrum adhibitis, chirurgis multis additus. Semina radicibus magis aromatica eundem fere usum habent. Planta apoplecticas, epilepticas, vertiginosis noxia habetur LINNAEO.

BETA Off. Botan. Classis Natur. Incompletarum. Germ. Bete, Bisse. Gallis Poirée. Anglis Beets. Italis Beta v. Bieta.

Olus hoc in hortis cultum satis molle, ut alia mensis adhiberi posset, ut a veteribus etiam adhibitum fuit. Meminit GALenus cujusdam edulii ex lente, & beta concinnati, quod non sanis modo, sed etiam agrotantibus exhibebat HERACLIDES TARENTINUS. Hodie albæ folia, & costæ in mensas recipiuntur; rubræ caulinæ elixi conduntur, nec ultimum locum inter bellaria habent. Cæterum plures betæ species sunt, est enim alba, rubra vulgaris, & beta rapa dicta.

USUS MEDICUS solius succi betæ, semper aqua temperandi, errhinnus.

BRASSICA. Off. Botan. Classis Naturalis Crucifor: Germ. Kohl. Gallis Chou. Anglis Cabbage and coleworts. Italis Cauli, & caolo.

BRASSICA capitata rubra C. B. semina officinis largitur. Inter hortensia olera principatum omnium consensu obtinens Brassica, plures, culinis usitatas & salubres species exhibit; capitata, non capitata, viridem, fuscum, crispam cæruleam, albam; est etiam, quæ ex florido caule cauliflora dicatur, sicut ex tucente caule, caulo-rapa.

Veteribus sacra, & adorari solita, a maximis laudata Philosophis est; CATONI pro universali medicina habita, etiam VARRONI contra pestem auxilio fuit. Nihilominus id tenendum, omnium brassicarum decoctum summopere foetere, statim putrescere; educit etiam experimentum magnam copiam salis alcalini volatile, & ex capite mortuo salem alcalinum fixum, ut inde, quibus conveniat, quibus exhiberi non debeat, haud obscurum sit. Officinae asservant solam brassicam rubram, & semina.

Ex Brassica radice napi panem confici posse sapidum, nullam corpori molestiam inducentem, dum haec radices cortice abjecto exsiccantur, exsiccatae in farinam moluntur & addito fermento in panem farina cogitur & excogitur, in Vol. IV. Collect. Francon. 1759. docet GLASER.

USUS MEDICUS in causa acidâ utilis. An inde intelligitur, cur laudetur in scorbuto? in podagra? ebrietate? cur conferat raucis, asthmaticis, hydropticis? cur sit vulneraria, etiam antiphthisica? Empiricum decocto brassicæ curasse ulceris sinus, quod ab aliis curari non possit MAUR. HOFFMANNUS. Nonne decocto admodum saponaceo, alcalefcente, solidum depurabatur ulceris, & in conditionem vulneris redigebatur? Præterea brassicam in ulceribus, & lepra vino incoctam admodum utiliter adhiberi reliquit CAMERARIUS. Externe folia bubonibus & anthracibus cum oleo raparum feliciter imponi DIEMER-BROEKIUS. Scopo maturante, emolliente, cocta in cataplasmatis consistentiam, adhiberi possunt iisdem, vel aliis tumoribus. Foliis brassicæ infantum tinea laborantium capita teguntur; calefacta etiam folia locis cantharidibus vexatis applicantur. Hydro-

picam



picam potu muriæ brassicæ conditæ curatam etiam legimus.

CHÆROPHYLLUM. *Off. Botan. Classis Naturalis Umbellifer. Germ. Kerbelkraut. Gallicis Cerfeuil. Anglis Chervil. Italis Cerefoglio.*

CHAEROPHILLUM *seminibus nitidis, ovato-subulatis.* Olus suaveolens, & sapidum, ori gratum, ventriculo conveniens, estur in acetariis crudum, in brodiis incoctum; exsiccatum vix multas vires retinet, sed in prunas ardentes injectum, ut nitrum fulgurat.

USUS MEDICUS ab omni antiquitate jam inultus; nam licet nec hodie certum, an chærophyllo nostrum DIOSCORIDIS sit Gingidium, aut Scandix, quanquam illico LINNAEUS scandicem nominaverit, tamen sub ipso jam chærophylli nomine multæ laudes inveniuntur. Chærophyllo canceratis mederi, ex aqua mulsa pituitam resolvere, urinam, & menstrua pellere, tritum cum axungia vetere parotidas discutere, adhæc succum potum sanguinem ob casum, percussione, vel contusione, extravasatum, certo experimento discutere, dixere. Sunt qui ad tumores duros discutiendos, ad inveterata cutis mala, impetigine, lentiginem, scabiem, laudent succum sero lactis dilutum, matutino tempore in lecto haustum.

Vis solvens in morbis hypochondriacis, & melancholicis utilis, constanti experimento deprehensa est. Succum cum nitro, & syrupo V. rad. aperientium in qualibet hydropisi maxime proficuum, quarta quaque hora assidue sumptum, expertus GEOFFROY; quin addit, hoc si medicamento non curetur hydrops, vix alio

sanari. Decoctum ad dolores puerperarum posthumos ex grumoso sanguine exortos ET MÜLLERUS, & expertus laudo, & omnes puerperas jusculis solis ex chærophylllo tractatas nulla alia medicina indigere affirmo. Laudatur adhuc ad hæmorrhoides, obstructions, renum vitia, vertiginem. Sed an non tentandum, an diuturno usu medeatur cancerosis? nullum est in experimento periculum.

**CICHORIUM** *Off. Botanic.* Classis Naturalis Composit. Semiflosculosaruin. *Germ.* Cichorienwegwart. *Gallis* Cichorée, *Anglis* Succory. *Italis* Cicoria.

**CICHORIUM** *foliis pinnatis, pinnis triangularris, dentatis.* Duplex est, sativum, & sylvestre. Prius magis culinis inserviens, sapidum *σερις*, posteriorius acre, saponaceum, amarum *πικρις* veteribus, magis officinis adhibetur.

**USUS MEDICUS** totius plantæ in hepatis, lienis, ac viscerum abdominalium obstructionibus exciliens, sapientum ventribus amicus. Curavit icteros satis pertinaces, & difficiles solo harum plantarum decocto meracissimo, larga exhibito copia, *Illustriß. L. B. van SWIETEN.* Diarrhoea bono est signo. Succo cichorei condensato vetulam ictericam, aliis nihil proficientibus, curataam vidit *a MOENICHEN*; jusculis cichoraceis, in prima mensa haustis, melancholia hypochondriaca profligata est, *RHODIUS*; solo foliorum usu, in acetariis comestorum, diuturnas & pertinaces febres intermittentes domitas, *GEOFFROY.* Radicem in febre heclica laudat *CRATO*. Novissime specificum in hypochondriacis, cachecticis, heclicis & febre lenta laborantibus habet, qui omnes fru-



fructus in his damnat, ROEDDER; an casto utriusque judicio? Cichorium podagræ opponit SPIGE LIUS.

PRÆPARATA. *Aqua* stillatitia cichorei non magni usus. *Extractione* tota vi plantæ gaudens. *Syrupus* de cichoreo bonus. *Syrupus* de cichoreo cum *Rheo* compositus, non adeo concinnus, pacate tamen alvum infantibus subducens, ad II. III. IV. cochlearia exhibitus. *Radix condita* non satis necessaria.

ENDIVIA, seu SCARIOLA *Offic. Botanic.*

Cichorium. Classis Natur. Compositar. Semiflosculosar. Germ. Endiwien. Gallis Endive ou Scariole. Anglis Endive.

CICHORIUM *foliis integris, crenatis, præ-*  
*dentis species a nonnullis habetur, ab aliis, vt R A J O,*  
*distinguitur, & hujus adhuc tres differentiæ, latifoliæ,*  
*angustifoliæ, crispæ, recensentur. Culinis, & offici-*  
*nis adhibentur. Officinalia semina, similia seminibus*  
*cichorii, IV. seminibus frigidis minoribus adnume-*  
*rantur.*

USUS MEDICUS recentis plantæ ac cichorii  
idem.

PRÆPARATA. *Aqua endiviae inutilis, endiviae Surupus bonus.*

LACTUCA *Offic.* *Botanic.* *Classis Natur.* *Com-*  
*positarum Semiflosculosarum.* *Germ.* Salat, Lat-  
tich. *Gallis* Laitue. *Anglis* Lettice. *Italis* Lat-  
tuca.

LACTUCA *sativa* est lactuca officinarum. Lactu-  
carum plurimæ hodie species in mensis coluntur; est



enim lactuca non capitata, capitata, Romana, maxima, Austriaca, variegata T. &c. In acetariis crudum, in jusculis elixum, medicis usibus salutare deprehensum hodie olus, antiquitati modo celebratum, modo vituperatum fuit. Mortuorum cibo relictum, & inferis foliis usitatum, AUGUSTUM tandem percuravit. Eunuchion primo Pythagoreis dictum, tum PLINIO, RAO; an recte confirmatum? Habeimus in officinis semina parva utrinque acuminata, oblonga, compressa, coloris cinerei. Habeimus etiam aquam stillat. Lactuca agrestis non est adhuc officinalis.

USUS MEDICUS ob vim solventissimam, & leniter pacantem, eximius. GALENUM multum ab hac planta beneficii in juventute, & senectute perceperisse habemus; dum enim assidue os ventriculi bile effervescente doleret, se lactuca levatum; tum in senecta studiis exhaustum, & continuis laboribus maceratum, dormire non potentem, a lactucis iterum se refocillatum reliquit. Phreniticum liberaliore usu se curasse DURETUS affirmat. In siccioribus alvi constipatoribus, hypochondriacis, & melancholicis, magna copia ingestæ, ut blande alvus solvatur, magni sunt usus. Hypochondriacum malum usū lactucarum solutum in Ephem. N. C. habetur; & his in casibus succus expressus, vel ipsa planta ad libras in sero lactis cocta, expressa, cum motu corporis, frictionibus abdominis, hodie frequenter sumitur. Seimen inter quatuor semina frigidiora numeratur. Aqua inutilis est.

MALVA Offic. Botanicor. Classis Natur. Columniferarum. Germ. Pappeln. Gallis Mauve. Anglis Mallow. Italis Malva.

MALVA caule eretto, foliis fere palmatis, obsolete serratis. In re alimentaria non exiguum olim usum  
hoc



hoc olus, quod iam eviluit, habuit, ut id omnia testantur veterum monuimenta, tum etiam celebratissimum apud ATHENÆUM medicamentum, sitim famemque sedans ex malva, & asphodelo compositum. Adjecta malvæ, doloris mitigativæ, omniorbiæ, omnibonæ, epitheta usum medicum satis confirmant.

Pluriñæ hujus species sunt, quæ fere promiscue in officinis usurpentur. Habemus radicem, folia, flores, semina. Flores tamen ex eadem planta vulgari non sunt, sed ex Malva arborea, seu rosea folio subrotundo C. B. exactius Alcea foliis sinuato angulatis L. Inter IV. herbas emollientes planta recensetur.

USUS MEDICUS ratione virtutis emollientis, inviscantis, & lubricantis, certus. Unde duram alvum, vel tardam movet, acrem excoriatam sopit, urinæ ardorem & acrimoniam mitigat, etiam inflammations & spasmodicas constrictiones tollit, doloris mitigativa, per os assumpta, per anum injecta, externe etiam applicata. In constipatione, dysenteria, affectiōnibus urinariis, stranguria, dysuria, tum & in calculosis, ubi motus calculus est, utilis; tum in pectoris morbis, tussi sicca, acri, convulsiva, in pulmonis, renum exulcerationibus, phthisi, in intestinorum aut aliarum partium inflammationibus, prodest. Ipse RESTUS a gravissima dysuria decocto malvæ convaluit. Dosis Manip. unus. Mulier pro iliaca desperata habita, aliis nihil juvantibus, juscule malvæ quotidie assumto restituta est, apud eundem. Foliorum malvæ fervidum infusum, momento spiritus vini temperatum egregium ad erysipelas remedium est. Potest etiam instar potus Thee sumi. Dosis ad libr. aq. manip. semis.

PRÆPARATA. *Conservæ ex floribus malvæ simplicis in iisdem, maxime in tussi, phthisi, renum calculosis vitiis, laudata.* Conserva malvæ arboreæ vim adstrictoriam habet.

PETROSELINUM vide de Diureticis.

PORTULACA *Offic. Botan. omnium. Classis Pauci-stam. Germ. Bortzelkraut. Galli Pourpier. Anglis Purslain. Italis Porcellana.*

PORTULACA *foliis cuneiformibus, sessilibus;* in mensis plurimis in regionibus cognita, nobis in officinis fere tantum habetur; veteribus nota, forte tamen cum alia confusa DIOSCORIDI, & PLINIO. Frigidi, & aquosi temperamenti esse, & paucæ participem austерitatis GALENUS rectius pronunciavit. Succulenta, & mucilaginosa tota, succum facile largitur, spissum, acidum spirantem, salinum. Ex decocto sal nitro similis educitus fuit sæpius. Semen parvum, ex rubro nigrum, inodorum, durum, sub dentibus crepitans, saporem habet leniter fificantem.

USUS MEDICUS in febribus æstivis, biliosis, inflammatoriis, cum sero lactis decoctæ portulacæ, optimus; ad erosiones partium cum febre, ubi acrimonia demulcenda, humorum temperandus motus, conveniens; etiam in dysenteriis biliosis laudatus; mucoso enim suo lentore acria inviscat, acido suo putredini resistit. Succum in calculosa dispositione utillem, syrumpum stranguriæ proficuum, multi habent. Seminis non adeo certa fama fuit, nuper tamen tum semen tum planta contra tineam specifica inventa sunt.

SPI-



SPINACHIA, SPINACIA. *Offic. Botan.*

Classis Natur. Incomplet. *Germ.* Spinat. *Gal-*  
*lis* Epinars. *Anglis* Spinage. *Italis* Spinazo.

SPINACIA *semine spinoso.* Molle sed insipi-  
dum olus, aromatibus temperatum, plurius in regio-  
nibus multum in usu est, facilis digestionis, pauci  
nutrimenti, alvum emollit.

USUS MEDICUS nullus.

His adhuc alia olera addi possunt, ut blitum,  
borago, buglossa, summitates lupuli, pimpinella  
sanguisorba, mercurialis &c. quæ, quoniam non  
adeo hodie in usu sunt, in sua singula capita di-  
gesta sunt.



RADI

## RADICES.

**DAUCUS** *Offic. Botanic.* Caucalis Classis Natur. Umbelliterarum. *Germ.* Mohr Ruben. *Gallis* Carotte. *Anglis* Carrot.

**CAUCALIS** *involucris pinnatifidis* duæ species sunt, sylvestris, & hortensis, prior medicinæ, posterior alimentis magis inservit. Officinalia semina ex viridi fusca, villis eminentibus, & quasi pilis circumdata, pedicularum forma, aromaticæ, stimulantia, subainara, fere acria, in scopum carminativum, diureticum, laudata, recensentur inter semina IV calida minora. Radix alimentis adhibita anti-acida, pingue-facit, ARBUTNOT *Practical Rules of Diet.*

**VVS MEDICVS.** Radicis recentis succus melle remixtus ad aphthas extollitur ; succus excoctus in tussi infantum & phthisi valet, SCHOBERV. Seminibus vis lithontriptica a pluriinis adscribitur, per casus etiam HELMONTIO, & Ephemeridibus N. C. confirmata. Exhibitentur in pulvere ad dr. semis, I. bis, vel ter de die sumendam, infunduntur ad unc. I. II. Radicis promiscua & non limitanda dosis est, cum inter umbelliferas maxime imbecillis sit.

**NAPUS, NAPUM** *Offic. Botanicor.* Brassica, Classis Natur. Crucifor. *Germ.* Steck-Ruben. *Gallis* Navet. *Anglis* Navew. *Italis* Napo.

**BRASSICA** *radice caulescente, fusiformi.* Præcedenti dulcior, & gratior cibus, antiquitati etiam multum memoratus fuit.

USUS



USUS MEDICUS potissimum semenis est, quod in officinis asservatur. Estne vis in semine napo antiodota? Napos minores, nigricantes, raspatos, cataplasmati forma applicatos, arthritidem fugasse, CHEVALIER *Recueil periodique d'observations de Medicine, de Chirurgie, & de Pharmacie T. I.*

PASTINACA *Offic. Botan. Selenium Classis Natur. Umbelliferarum. Germ. Pastinack. Gallis Panais. Anglis Parsnep.*

SELINUM *foliis pinnatis, lanceolatis, basi semitrilobis, in sylvestrem, & sativam a DIOSCORIDE distinguitur.* Sylvestris in medicina sativa longe efficacior habetur. Radicis cortex ex fusco flavescens, carne alba, odoris aromatici, saporis similis, non integrati. Semina etiam officinalia, magna, plana, margine foliaceo cincta, odorata.

USUS MEDICUS aliquando in jusculis medicatis scopo resolvendi, abstergendi, & diuretico, quas vires habere videtur; utiliter exhibetur infusa, vel va- sis clavis leniter cocta radix. Semina in eosdem usus, ac semina dauci laudantur, cum succo glycyrrhizae in pilulas redacta ad calculum, & vesicæ ulcera valent. Suntne annosæ radices venenatæ? virulenta ab his symptomata in *Actis Physico-Med. N. C. vol. VI. DAN. HOFFMANN.* Sed erantne vere radices pastinacæ?

RAPA *Offic. Botan. Brassica L. Classis Natur. Crucifor. Germ. Ruben. Gallis Rave. Anglis Tournepe. Italis Rapo.*

BRASSICA *radice orbiculari, carnosæ; ab omni tempore magnum in re alimentaria, & medicina usum ha-*



habuit, vario sub nomine designata. Rapum, & napum, ut ut DIOSCORIDES distinxit, conjunxit iterum GALENUS. Non parva raporum gloria est, quod unum in templo Apollinis Delphis dicatum e plumbō, beta una ex argento, & raphanus ex auro, ordine quasi dignitatis in cibis. Ut olim, ita & hodie multum mensis adhibentur rapæ; sed flatulentæ sunt experimento BOYLEI; hinc alunt quidein, sed inflationem pariunt, DIOSCORIDES. Cymæ pro mensis abjiciuntur, licet olim adhiberentur; nobis solæ advocantur radices.

USUS MEDICUS. Decoctum raparum non decorticatarum, etiam succus expressus addito melle despumatus, incomparabile dat remedium contra omnia oris ulceræ, maxime vero aphthas; tum & contra pulmonis infarctus deterativa, & antiscorbutica vi agens multum præstat. Difficilem respirationem decocto raparum sæpius curavit LANZONI *Acta Phys. Med.* N. C. Vol. I. Tusses pertinacissimas CRATO; exsiccatauin raparum brodio infantum tabem INDEM afferente HOFFMANNO. Externe in lacte coctas, & in emplasticam formam redactas, locis podagricis calide applicatas, doloris sedativas habent CRATO, FORESTUS, & alii. Decoctum in tenesino, & diarrhoea infantum contumaci cum butyro, oleo amygdalarum dulcium, in clysmate injectum, præsentissimam opem sæpe tulisse Fr. HOFFMANNUS *de præstantia remediorum domesticor.* Aphrodisiac rapæ non sunt, licet ex DIOSCORIDE, GALENO, excubant multi. Oleum etiam, in quo tantillum sacchari solutum est, cum syrupo convenienti ad aphthas valet.

RAPHA-



RAPHANUS Off. Botan. Classis Naturalis  
Crucifor: Germ. Rettich. Gallis Raifort. An-  
glis Radisch. Italis Rafano.

RAPHANUS siliquis teretibus torosis biarticulati-  
bus. Maximus antiquitati raphano honor fuit, MO-  
SCHIONE, PLINIO authoribus; nam & phthisim  
cordis, morbum olim Ægypto familiarem, ignotum  
nobis, curavit, & in templo sacratus fuit.

Fabula narratur, sacros ab Apolline Delphos  
Omnibus hunc aliis præposuisse cibis.  
Ex auro, ut raphanum sacrarent, pondere betam  
Argenti, plumbum rapa fuisse ferunt.

Sed & brassicam ARISTOTELES vocavit raphanum.  
Comeditur cruda aliquando radix & cocta: acrimonia  
in cortice maxima est, similis ac in aliis antiscorbuti-  
cis plantis; & licet hæc coctione multum perdatur, il-  
lud tamen sacchareum, & dulce quod rapis inest, &  
peculiari arte saccharum sal nativus raparum esse de-  
monstratur, constanter deest raphano.

USUS MEDICUS, antiscorbuticus, incidens, ape-  
riens, diureticus. In causa tenaci, frigida, mucosa,  
cerevisis, vinis medicatis, injicitur in taleolas dissecta  
radix tota, vel solius radicis cortex; sed etiam pressus  
succus in scorbuto lento, acido, tussi, asthmate, rau-  
cidine, ischuria datur; ita raucedo pertinax raphani sy-  
rupo curata: asthma siccum, convulsivum, raphani esu  
sublatum, in Ephem: N. C. & de aliis morbis alia  
apud varios exempla sunt. Extemporaneo experien-  
to ex radice in tenues lamellas secta, intersperso inter  
singulas lamellas saccharo, syrapi species habetur, ad  
eadem mala utilis; utilis itidem cum sale muria. La-  
mellæ ipsæ recenter sale aspersæ, applicatæ corpori, ru-  
befa



besacientes sunt, ischiadicis proficuae, TABERNACE. MONTANUS. Folia contusa, cataplasmati forma applicata, dolores, & tumores frigidos artuum tollunt.

RAPHANUS RUSTICANUS Off. Cochlearia Botan. Classis Naturalis Crucifor: Germ. Meerrettich, Krain. Gallis Raifort sauvage. Anglis Horse Radisch.

COCHLEARIA foliis rad. lanceolatis crenatis caulinis incisis; pro ciborum condimento, contusa, rasa, momento vini aceti adjecto, edendis carnibus, piscibus, hinc inde adjungitur; praecedenti longe mordaciore, radix officinis armoracea audit.

USUS MEDICUS praecedenti in iisdem morbis efficacior. Cerevisias, vina medicata antiscorbutica, ferre semper ingreditur: in hydrope multum laudatur; & ipsa arthritis hoc quoque curata est, in Ephemer. N. C.

RAPUNCULUS Off. Botan. Classis Naturalis Fructiflorarum. Germ. Rapunzel. Gallis Réponse. Anglis Rampions. Italis Raponzolo.

RAPUNCULUS foliis imis cordatis, superioribus angustis, spica cylindrica, longissima; in acetariis recentes radices adhibentur, cæterum non adeo magnus usus. Aliæ species plurimæ etiam edules sunt.

USUS MEDICUS, quod nec in officinis recipiatur, vix ullus.

SCORZONERA Off. Botanic. Classis Naturalis Compos. Semiflosculosarum. Germ. Schlangen-Kraut, Haberwurtz. Gallis Scorzonaire, Cercifi. Anglis Scorzonera Viper's graft.

SCORZONERÆ caule ramoso, foliis amplexicauilibus, integris, serratis; in alimentis multum adhibi-

ta



ta radix, magni semper in medicina facta est. Oblonga est, carnosa, variæ crassitiei, foris nigra, intus albissima, fracta lac fundens, cremoris lactis consistencia, saporis subdulcis, cum leni adstrictione & aro-  
mate. Nutrimentum demulcens optimum concedit in-  
cocta jusculis, condita in acetariis; non exakte sub fa-  
bulo asservata adulta, effœta esse solet.

**USUS MEDICUS** demulcens in morbis ex acri-  
monia humorum oriundis, etiam podagricis, **ARBUT-**  
**NOT.** l. c. Decocta ex hac radice frequentissima unc.  
seminus cum aliis, unc. unius, vel & unc. duarum dosi,  
duum sola datur. Laudatur iterum scopo solvente morbis  
hypochondriacis utilis, sed tunc ad lib. præscribi debet  
cocta, & expressa. Succus expressus decoctioni præfe-  
rendus est ita, *Cl. ARBUTNOT. Practical Rules of Diet.*

**PRÆPARATA.** *Aqua stillatitia, Radix condita,*  
ad quid?

**SISER. SISARUM** *Off. Sium VAN ROY.*  
Class. Natur. Umbellif. *Germ. Zucker-Rüblein.*  
*Gallis Chervi. Anglis Skirrets. Ital. Sisaro.*

SII foliis pinnatis, floralibus ternatis; radices, exi-  
guæ, longæ, napiformes, **TIBERIO** multum adama-  
tæ, mensis adhuc hodie plurius in locis magis, quam  
quidem officinis, celebrantur; assumuntur coctæ, in  
pultem redactæ, assatæ, etiam in acetariis conditæ. Sac-  
charum inde tentatum **MARGGRAFIO Acad. de Berlin.**

**USUS MEDICUS** vix multus, aperiens, vul-  
nerarius tamen.

**TRAGOPOGON** *Off. Botan. Classis Naturalis*  
Compositar. Semiflosculos. *Germ. Braunbocks-  
bart. Salsifis. Gallis Serfisi. Anglis Goats-Beard.*

**TRAGOPOGON** foliis integris, strictis, calyci-  
bus florem superantibus. *Scorzoneræ* toto habitu si-  
*Crantz. M.M. T.I.* C milis



milis radix, in usum alimentarem, & medicum, eodem modo ut illa adhiberi potest, & adhibetur.

USUS MEDICUS idem.

His jam etiam radices bulbosæ addi possent, ut porrum, cepa, allium, tubera &c. Sed, & hæc in alia capita digesta sunt. Dici tamen adhuc de cicutaria debet.

CICUTARIA PANNONICA. CLUS.

CHÆROPHYLLUM Botan. Classis Natur. Umbellif. Viennensibus Peperlein.

CHÆROPHYLLUM caule lœvi, geniculis tenuidis, radice turbinata, carnosa: jam olim industrius CLUSIUS in hortis, & herbidis Viennensis agri locis prodire, & novo vere succulentas radices cum novellis foliis in foro venales reperiri, coqui etiam cum oleo, aceto & sale, tum primis mensis inferri, prodidit; quam vero salubri cibo! ipse se nescire fatetur. Quin frequentem eius usum non sine noxa esse, & capitibus gravedinem, doloremque sibi attulisse affirmat; suspectæ radices, hodie, tempore quadragesimæ cum oleo coctæ adduntur iusculis; coctæ vel crudæ acetariis.

USUS MEDICUS, quantum scio nullus, ni quod etiam certus noverim, hoc anno 1763. plurimam plantæ teneroris vim officinis nonnullis divenditam, in extractum coactam fuisse, & pro Cicutæ extracto tam exteris quam nostratis dispensataam. An jam mirabile dissuntas adeo de extracti Cicutæ effectibus observationes esse? quod si etiam verum sit ex pura hac planta extracta confecta non esse alias murinum foetorem non adeo habitura, inconcussum semper est, adulteratum illud Cicutæ fuisse, nec eam, quam adhibere intentio fuerat, medicinam morbo applicatam fuisse, sicque sæpe medicamenti alicuius laudes Pharmacopæorum ignorantia fugillari.

FRUCTUS.



## FRUCTUS.

**A**MYGDALÆ *Off. Botanic.* Classis Natur. Ca-  
lyciflorarum *Germ.* Mandeln. *Gallis Amandes.*  
*Anglis Almond. Italies Mandole.*

**A**MYGDALUS *foliis serratis, infimis glandulosis;*  
suas officinis divitias largitur. Duplex amygdalus;  
dulcis, & amara, iam DIOSCORIDI nota fuit, dulcem  
enim esui, amaram medicinæ magis aptam esse monuit,  
ut etiam hodie ex dulcibus non solum pulticulæ, pla-  
centæ, panes, quos marcios vel marcipanes vocant,  
conficiantur, sed etiam ad temperandam aliarum re-  
rum acrimoniam, infinita in mensis varietate inter-  
misceantur, saccharo incrustentur. Plurimum alimenti  
habent. Id quod in amaris amarum, alembicum tran-  
scendit volatile, homini innocuum, gallinis, & omni-  
bus fere avibus noxiū, vulpibus etiam venenum esse  
DIOSCORIDES reliquit. Oleum ex amaris pressum  
non amarum, sed dulce est. Dulcum oleum pres-  
sum longe citius aliis oleis pressis rancescit. Rancidum  
venenum est. Furfures ad detergendas manus commo-  
de adhibentur.

**U**SUS MEDICUS in scopum nutrientem obtun-  
dente acrimoniam, relaxantem. Emulsio ex amygdalis  
dulcibus recentibus, decorticatis, varia spissitudine, ab unc.  
semis ad unc. unam præscriptis, facta laudatur, acuitur  
aliquot amygdalis amaris ob saporis gratiam. Oleum  
recenter pressum, inodorum, & insipidum fere, emol-  
lientissimum est, & in illis morbis, ubi acrimonia hu-  
morum demulcenda est, crispatae, & induratae partes  
solidæ relaxandæ, acrimonia obtundenda, ut urinæ ar-

C 2 dore,



dore, ejus suppressione, dolore nephritico, colico, suppressa puerperis alvo, pectoris asperitatibus, per se, vel aliis junctum, varia in variis casibus dosi, ab unc. I. H. ab lib. semis lib. I. feliciter exhibetur, per os potum, per anuin injectum; puerperis per se ad unc. I. saepius datur, vel etiam jusculis calidis commisceatur; clysmate etiam injicitur.

**ARMENIACA MALA** *Off. Botanic. PRUNUS.* Classis Natur. Calyciflorarum. *Germ.* Apricosen. *Gallis Abricots. Anglis Apricocks.*

**PRUNUS** *floribus sessilibus, foliis subcordatis.* Fructus fere globosus, etiam sulcatus, intus forisque aureus, carnem magis farinosam, minus succulentam persicis, officulum compressum, lave, nucleum non incundum subamarum habet. Crudus, coctus, estur fructus, etiam conditus, exficcatus.

**USUS MEDICUS** vix multus; est tamen analgeticus.

**AVELLANÆ NUCEΣ.** *Botanic. CORYLÆ.* Classis Natur. Incompletar. *Germ.* Haselnus. *Gallis Noisette. Anglis Haselnut. Italij Nucelle.*

**CORYLÆ** *stipulis ovatis, obtusis; in usum alimentarem magis, in medicum minus impenduntur, minus oleofæ, magis compactæ, dæræ sunt.*

**USUS MEDICUS** nullus.

**AURANTIA MALA** *Offic. CITRUS Botanic.* Classis Natur. Calyciflorarum. *Germ.* Pomerantzen. *Gallis Orange. Anglis Oranges.*

**CITRUS** *petiolis alatis.* In octona loculamenta divisibilis fructus globosus duplex est. Dulcis corticem carno-



carnosum, unam, duas lineas crassum, coloris extus crocei aurei, intus albidi, cum medulla subflava dulci vinosa habet. Amarus subtristis colore flaret, glandulosus magis, odoratior medulla acriori. Prior nostris usibus acetariis, medicis posterior potissimum dicatur, licet promiscue uterque usurpetur.

Ex Citro aurantio in officinis varia habentur; uno: *Flores* admodum odorati. 2do *Folia* aromatica amara etiam oleo grida nuper nostris officiniis inducta. 3tio *Cortices* oleo plurimo essentiali fœti. 4to *Caro succo* solvente detergente plena.

USUS MEDICUS hujus pomi in plurima utili-  
lis; corticis merito seu siccata, seu conditi, in aliarn  
cardiacorum classem relata vis, stimulans, incidens,  
stomachica, & carminativa in causa frigida, Siccatus  
in pulvere sumi potest *cortex*. a scrup. semis, uno, ad  
drach. semis; conditus per taleolas, vel electuarii for-  
ma ad unc. unam non limitanda dosi, in morbis ven-  
triculi a laxitate, muco, flatibus; recens cum faccha-  
ro contundi, & sic in electuario sumi, aut superfluo  
spir. vini forma infusi spirituosi, in easdem indica-  
nes dari potest.

*Caro* aurantiorum dulcium comeditur sola, vel fac-  
charo condita, grato æstivis caloribus refrigerio. *Suc-*  
*cus* solvens hypochondriacis, & febrentibus utilis,  
his non præscripta dosi, datur illis in sero lactis, deco-  
cto hordei ad unc. II. IV. Acidorum succus ad unc.  
I. II. III. expressus aquæ lib I. immixtus, faccharo con-  
temperatus, potum dat gratissimum ad sitim extinguendam,  
sanguinis æstum temperandum, maxime in bi-  
liosis, & febre putrida laborantibus; hinc etiam ablato

cortice ptisanis secta incoquuntur poma aurantia. Est præterea in scorbuto putrido multis probata, nec ingrata medicina. Adhæc pulvis foliorum aurantiorum drachmæ semis bis de die dosi nuper in convulsionibus, epilepsia tentatus a Cl. STOERCK non spernendos in multis effectus edidit, etiam Illuſtr. L. B. van SWIETEN confirmavit.

PRÆPARATA etiam varia sunt. *Flores conditi* ad tertiam cardiacorum classem vere spectant, ut etiam quæ ex his destillatur *Aqua Naphæ officinis dicta*. De corticibus jam dictum est. Est *oleum expressum*, & *destillatum*, prius posteriori gratius, valentius; utrumque ad gutt. II. III. V. elæosacchari forma exhibetur: est medicamentum stimulantissimum. Cæterum, & fricando saccharum ad cortices recentes aurantiorum, elæosaccharum egregiæ virtutis, in iisdem casibus utile conficitur. *Syrupus* corticum aurantiorum laudandus. *Essentia proficia* ad gutt. XX. XXX. sola vel aliis juncta. Notari meretur, essentiam aurantiorum ex vini spiritu, summo sub frigore efficaciorem, quam alio tempore, obtineri, de BERGEN Nov. Act. Acad. N. C. Vol. I.

CERASA *Offic. Botan.* Classis Natur. Calyciflorarum. *Germ.* Kirschen. *Gallis* Cerises. *Anglis* Cherries. *Italis* Ceregie.

CERASUS *foliis ovato-lanceolatis*. Cerasorum variæ sunt differentiæ, quæ, crudæ, coctæ, diverso modo præparatæ, in usus alimentares adhibeantur. Landatissima sunt acidissima, nigra, & quasi sanguineo succo turgidula. Condiuntur pro bellariis; contunduntur pro vino cerasa.

USUS



USUS MEDICUS in morbis chronicis, ubi obstruktiones resolvendæ, impacta referanda, specificus: melancholicis, atrabiliariis, maniacis, tanta copia, ut diarrhoeain inducant non cito suppressandam, sumpta plurimum prosunt, atque haec curatio raro *Illustr. I. B. van SWIETEN* fecellit. In ea vero scire juvat maxima dosi exhibenda esse, minus in libris, quam unciis peccari; matutino tempore sumenda, jejuno stomacho, nec fermentescibiles liquores superbibendos; dari etiam cocta posse. Cum jure, ptisanis, pro potu ordinario in febribus utiliter incoquuntur; solvunt enim, reficiunt etiam, & ptisanam sapidorem reddunt. Sed estne nigris vis nervina, antispasmodica, subanodyna, uti LINNÆUS contendit? Nucleus an utilis? Gummi Cerasorum emolliens est, mucilaginosum, inviscans, in aliam indicationem utile.

PRÆPARATA. Cerasa acida, *condita*, acute febrentibus & grata, & analeptica, & utilia, ut & *syrupus cerasorum acidorum*, habentur. *Aqua stillatitia cerasorum nigrorum* satis grata, reficiens. *Spiritus cerasorum nigrorum* ab Helvetis ad nos adfertur: multum deprædicatus, cardiacus, carminativus, is loquaciam amissam restituit apud HARTMANN.

CITREA MALA Offic. Botan. Classis Natur. Calyciflorarum. Germ. Citronen. Galli Citron. Anglis Citrons. Italiis Citroni.

CITRUS *petiolis linearibus*. Fructus oblongus plerumque, raro globosus, maturus aurei citrini coloris, odoris fragrantis, saporis acris, amari, pulpam habet in varia loculamenta divisam, fibrosam, acidam. Mensis pro condimento inserviunt, flavedo, &

ipsa pulpa, cuius succo carnes, pisces, & alia irrorantur. Succus aquæ fortis vegetabilis species margaritas, corallia, testacea solvit. CHAMBON; oleo inviscatus in calculo utilis. IDEM. vide Limonia.

USUS MEDICUS diversarum partium diversus; & in diversas cardiacorum classes redigendus. *Malum ipsum* certius cardiacum excitans, quam omnes lapi-des pretiosi officinarum. *Pulpa*, ut & ejus succus, in scorbuto putrido, morbis biliosis, plurimum valent. *Cortex exterior*, *flavedo* officinis dicitur, ea oleo stimulante grida, vino infusa, recens, mirum reficit & excitat, etiam in suscepto miasmate laudata, stomachica est, carminativa.

PRÆPARATA. *Cortex* citri conditus. *Syrupus* de corticibus citri egregiæ virtutis. *Caro* condita non satis noti usus. *Conserua* pulpæ, siti, & putredini adversa; ut & *Syrupus* de acetositate citri. *Aqua stillatitia* citri, aqua stillatitia totius citri utraque laudanda. *Spiritus* corticum in lethargo deprædicatur. *Oleum* citri ad speculum pressum optimum, sed raro in officinis est, oleum citri *destillatum* semper, etiam bonum.

CITRULLI *Offic.* *Botanicor.* CUCURBITA. Classis Natur. Incompletar. Germ. Citrullen. Gallis Citrouille. Anglis Citrul.

CUCURBITA foliis multipartitis. Cucurbitarum hæc species in usum alimentarem, & medicum eodem modo vocatur. Pulpa cruda raro, saepius cocta sumitur, non multi nutrimenti.

USUS MEDICUS ac cucurbitæ idem, magis tamen ad febrium æstum, & bilis temperandum furorem



rem laudatur. Aquam stillatiam, qua tuto caremus, arcanam in causa nonnulli habent. Semina etiam inter IV frigida majora recensentur.

**CUCUMERES** *Offic. Botan.* Classis Natur. Incompletar. *Germ.* Unmurcken. *Gallis* Concombre. *Anglis* Cucumber,

**CUCUMIS** *foliorum angulis subrotundis.* Noster fructus, qui veterum melo fuisse videtur, fatuus est, aquosus, submucilaginosus, exigui nutrimenti; exiguae, adhuc parum ventricosus, viridis, aceto, & muria conditus acetariis, major jam flavus lactucis dicitur, etiam coquitur, atque in hac re culinarium ingenium variat.

**USUM MEDICUM** jusculis incocti Cucumeris sanguinem spuentibus ex acrimonia aut dissolutione humorum utilem, indicat succus submucilaginosus, insipidus, refrigerans. In febre hectica ab ulcere pulmonis probavit felici experimento MUZELL in Nosocomio Charitatis Berolini. Pulpam jusculis incoctam febrentibus salutarem proprio experimento docuit RADIUS, jam ante pronunciarat HIPPOCRATES, qui etiam ad ani inflammationes jubet partem cucumeris maturi tritam applicari. Semina inter IV frigida majora recensita, varia dosi ad drach. II. unciam dimidiadim, integrain, in emulsionibus præscribuntur.

**CUCURBITÆ** *Offic. Botanicor.* Classis Natur. Incompletar. *Germ.* Kürbis. *Gallis* Curges. *Anglis* the Gourd. *Italis* Zucca.

**CUCURBITA** *folio subangulato, tomentoso, flore albo.* Sunt etiam hujus fructus multæ differentiæ,

quæ edules, fatuæ, admodum aquosæ, crudæ haud esitantur; sed variis modis, Italis notis, elixantur, assantur, frixantur, exigui cæterum nutrimenti.

VIS MEDICA demulcens, refrigerans; semenum inter IV frigida majora relatorum usus, & dosis, ut congenerum eadem.

CYDONIA MALA *Offic. Botan. SORBUS*

*Clavis Natur. Calyciflorarum. Germ. Quitten-Æpfel. Gallis Coin. Anglis Quince.*

*SORBUS* foliis rotundis integerrimis, fructu lato quinqueloculari. Hesperidum hoc malum aureum, carnosum, umbilicatum, quinque loculis membranosis divisum, semina plurima oblonga, rubicunda recondit. Caro in initio alba, maturitate, & ætate magis fulva, odoratissima, cruda, austera, plerumque coquitur ad usus alimentares, tum demum gratior, ventriculo convenientior. Semina mucilaginis emollientissimæ gelatinis tum in culinis, tun in officinis, ut & mucilaginibus inserviunt.

USUS MEDICUS. Tyrocnesti rasorum immaturorum, & pressorum *succus* recens, austerus, acerbus, ventriculum subvertit; adultior hanc vim amittit, & summe robore acquirit, ut succus cydoniorum officinarum: idem succus saccharo inspissatus, in syrum convertitur cydoniorum officinis dictum, in diarrhoeis, dysenteriis, utilem. *Caro* cydoniorum cocta, contusa, & in pulpam per cibrum trajecta, saccharo, aliis etiam aromatibus condita, dat *mivam* cydoniorum *Offic.* egregii in laxitate faecium, ventriculi, & intestinorum, tum angina pituitosa, vomitu, diarrhoea, dysenteria, usus. Habetur etiam *oleum* pro usu externo, aliis acuandum in scopum roborantem.

*Semina*



*Semina* eydoniorum vero admodum mucilaginosa sunt, interno non nisi in his casibus usu, ubi interior oris, faucium, ventriculi, intestinalium membrana erosa; & omissis mucus obliniens detersus, dolorificum admodum sensum creat, singultum intolerabilem, dolorem &c. facit, utilia, tum forma emulsionis cum aliis, ad lib. aq. drach. I. exhiberi possunt, clysmatis in unc. aq. VI ad drach. I. 1/3 addito syrupo diacodio, vel alio. Externe vero in exulcerationibus saturatior mucilago valet, ut etiam in fissuris labiorum, papillarum.

**CYNARA** *Offic. Botan.* Classis Naturalis Compositarum Capitatarum. *Germ.* Artischock. *Gallis* Artichaux. *Anglis* Artichoack. *Italis* Archioceo.

*CYNARA* *foliis pinnatis, foliolis oblongis, indivisis, caule spinoso.* In mensis magis, quam in officinis usitatus fructus, tener cum sale, & pipere crudus, adultus coctus, estur; comeduntur vero ex hoc capite partes binæ, squammarum carnosí unguis, & ipse discus. Multi, sed stimulantis alimenti A.R.  
BUTNOT L. C.

**USUS MEDICUS**, licet urinam gravi inficiat odore, vix multus, nuper tamen remedium hydropi conveniens folia caulina Cynaræ laudavit JOURN. Etrang. Janv. 1761. Medicinæ vero hic modus est: succei ex foliis pressi & colati, vini Maderani ana partes æquales commisceantur & ante assumptionem concutiantur. Dosis mane & vesperi coch. III, IV. V.

### DACTY.



DACTYLI Offic. Botanicorum PHOENICIS  
FRUCTUS. Classis Naturalis Palmarum.  
Germ. Datteln. Gallis Datte. Anglis Date. Ital-  
lis Dattoli.

PHOENICIS *frondibus pinnatis, foliolis compli-*  
*catis; fructus oblongo rotundus, dactyli forma, unde*  
*& nomen habet, sed crassior, sole siccatus, ad nos ad-*  
*fertur. Pellicula exterior tenuis, fulva, pulpam mel-*  
*leam gratam, officulo oblongo sulco notato, includit.*  
*Mensis, & officinis noti dactyli sunt.*

USUS MEDICUS in asperitate faucium, in  
tussi acri, demulcens, forma decocti ad unc. I. II. Offi-  
ciorum haud certa fama est.

FICUS, seu CARICÆ PINGUES Offic. Bo-  
tan. FICUS. Classis Incompletarum. Germ.  
Feigen. Gallis Figue. Anglis Figs. Italis Fico.

FICUS *foliis palmatis.* Recens furno, sole ex-  
siccata, passa, in officinis *Carica* vocatur. Major ex  
flavo fusca, mellea, pinguis; minor gustus suavitate  
sece commendans, a loco, unde adfertur, Massiliensis  
simpliciter appellatur. Estur fructus maturus, cru-  
dus, ventriculo haud commodus, etiam alvum laxat  
majori quantitate sumitus; cæterum multum nutrit, &  
pinguefacit.

USUS MEDICUS demulcens, leniens, incrav-  
fans, abstergens, in colica saturnina, exulcerationibus  
internis, doloribus calculosis, tussi sicca, acri, forma  
decocti, electuarii, emulsionis. Specificas caricas in  
morbis hepatis habet LINNAEUS, in phtisi alii. Ex-  
terne applicatae in lacte coctæ, sub cineribus assatae,  
etiam



etiam cataplasmatibus intritæ, emolliunt, & maturant; ad bubones pestilentiales jam in sacris laudantur. Gingivis inflammatis apponitur ficus, in gargaris natibus etiam utiliter præscribitur, & apozematibus demulcentibus.

**FRAGA** *Offic. Botanicorum* **FRAGARIÆ** fructus. Clasfis Nat. calyciflorarum *Germ.* Erdbeer. *Gallis* Fraise. *Anglis* Strawberries.

**FRAGARIÆ** flagellis reptantibus fructus ex ova-to-acuminatus, carnosus, per maturitatem ruber, quandoque, raro tamen, cereus, dulci vino succo gratius, & odoratus, exterius multis feminibus nigricantibus exiguis conspersus est. Inter edulia usus est frequentissimi, & tum sylvestria hortensibus præferuntur.

**USUS MEDICUS**, & ipsius fructus & plantæ, non infimus. Ipsius plantæ quidem vis diuretica, & vulneraria in viis urinariis suminopere laudatur: fructus solvens in obstructionibus cum vino, momento cinnamoni, saccharo, reficiens, analepticus. Aqua fragorum in usum domesticum confecta, multum cardiae, refrigerans æstivis caloribus.

**JUGLANDES NUCES** *Offic. Botan.* Clasfis Natur. Incomplet: *Germ.* Nüsse. Bauinnüsse. *Gallis* Noix. *Anglis* Walnut. *Italis* Noce.

**JUGLANS** foliis subæqualibus, subserratis; fructum dat, qui Jovis glans veteribus dictus est; an quod adeo sapidus? aut quod in eum fructum tantam natura locavit operam; Præter corticem enim exteriorem satis crassum, viridem, tinctoribus inservientem, putamen ligneum durissimum habet, ut non melius in parente fætus, quam hic fructus includatur; adhæc com-



compactili operimento bifidas putaminum carinas, nucleus in extremitatibus quadrifidum, lignea intercurante membrana dividente, natura cinxit. Nucleus immaturus non nimis oleosus est, emulsum masticatus exhibens gratum: adultior siccatus flavesiens, difflata aquosiori parte, rancescit, & inflamat, & oleum largitur pressus, pictoribus, quod nitorem diu conservet, magis, quam oleum amygdalarum, laudatum. Quieta arboris atmosphæra suspecta est.

USUS MEDICUS ipsius corticis maturi fructus, aut etiam dissepimenti hodie vix ullus, licet ex his universalem fere medicinam se habere credant multi. Succum corticis exterioris viridis vomitorium esse multi asserunt: ex hoc vitriolum vegetable conficere docet ET MULLERUS; decoctum ad luem in *Ephem. N. C.* laudatur. Juglandes aridas comestas infallibili eventu tænias expellere Mediolanensibus, Cl. BEREHNS reliquit. Folia tumoribus œdematosis applicata certo discutere plus una vice vidi.

PRÆPARATA magis usitata sunt: immaturæ nuces, antequam putamen osseum sub calyce crasso viridi in lignum induruerit, odoris penetrantissimi aromatici, saporis acerbi, distincti, maceratae condiuntur faccharo, melle, cinamomo, caryophyllis, & aliis aromaticis confixa: sunt hæ nuces in bellariis, & officinis conditæ. Ex expresso succo viridum fit *Roob dia-nucum* egregiæ virtutis roborantis. In nonnullis officinis etiam habetur *aqua stillatitia* odoris fragrantis: in nostris non prostat.

Oleum nucum, & vinum alicantinum debito modo sumpta sèpius vermeum dictuum solitarium expulere experimentis Cl. PASSERAT de la CHAPELLE *Journal*



*nal de Medecine* Vol. VI. p. 305. vidi eundem effectum  
BINET. ibidem Vol. XV.

LIMONIA MALA *Off. CITRUS L.* Clas-  
sis. Nat. Calyciflorarum. Germ. Limonien. Gal-  
lis Limons. Anglis Lemons.

Varietas est CITRI: contractior fructus, remis-  
sius flavescens, & levius odoratus, citreo malo similis,  
copiosiorem pulpaem, & succum uberorem, acidiorēm  
habet, in mensis multum, ut & in medicina utilem.  
Pulpa conspersa saccharo manditur: cortices conditi  
bellariis adhibentur. Abusus acerbissimi limoniorum  
succii colicæ pictonum Indiarum occidentalium causa  
est. *HUXHAM de morbo colico Damnoniorum.*

USUS MEDICUS in omni causa putrida profi-  
ciens, scorbutum, vomitum, singultum a causis putri-  
dis sanat: ulcera oris scorbutica instillatae recentis pomi  
guttæ aliquot curant: aqua dilutus succus, saccharo tem-  
peratus, morbis acutis putridis dupli ex indicatione  
conveniens est, æstum enim compescit, & putredini  
resistit. An sit in calculo specificus, multi interrogant:  
succum unciarum trium pondere, cum unciis duabus  
olei amygdalini dulcis, & sacchari uncia dimidia in con-  
fidentiam mellis redactum utiliter in calculosis concre-  
tionibus exhiberi video, & nuper solius *limonadæ*, vi-  
no sæpe, ne colicam causaret, cœntemperatæ potu  
calculosum Anglum servatum. *The London Chronicle.* Nr. 705. 1761.

Limonum succum salis spiritu pari pondere remixtum,  
scorbuticis multis profuisse *ZANICHELLII* auctoritate  
refert *CL. MORGAGNI de sedibus, et causis morborum*  
*per Anatomen indagatis, Epist. Anat. Medic. XLVII.*

ita



ita cum mulier septem ipsos annos uteri hæmorrhagia  
irritis prælidiis omnibus laborasset, bene ac feliciter &  
se esse personata in hoc medicamento: dedisse autem  
propterea, quia certainam quandam scorbuticam in ea  
sanguinis constitutionem esse conjecterat; expertum au-  
tem antea esse, quam profuisset aliis idem illud re-  
medium ore continere, cum scorbutus graviter hoc  
erosisset. Censeo vero ego, non sine magna cautela,  
& in os, & in ventriculum acrem hanc medicinam da-  
ri posse.

MELONES *Offic. Botan. CUCUMIS L.*

*Classis Natur. Incomplet. Germ. Melaunen.*

*Gallis Melons. Anglis Melon.*

CUCUMIS foliorum angulis rectis; infinita va-  
rietate, tum ratione magnitudinis, figuræ, saporis, co-  
loris, carnis, & ipsius corticis, variant hi fructus, in  
gulæ deliciis ob fragrantiam & sapiditatem semper ha-  
biti: In regionibus calidis optimi sunt. Omnes G A-  
L E N I criminazione absolvuntur, humectantes, refri-  
gerantes.

USUS MEDICUS cum aliis horæis communis,  
solvens, qua in re providentia divinæ sigillum agnoscit *Illustr. L. B. van SWIETEN*, quod æstate, ubi  
subtilissimi, & aquosi maxime humores de corpore  
diffilantur, & reliqui inspissantur, similia recte mortali-  
bus exhibuerit, quæ grato refrigerio calidos, exopta-  
ta humiditate siccios, & penetrabili aroinante languidos  
recrearent, reficerent, excitarent. Conveniunt etiam  
melancholicis, maniacis, nec inutiliter dantur scorbu-  
ticis. Semina pariter inter IV frigida majora recensi-  
ta,



ta, in emulsionibus dantur, scopo demulcente in morbis renum, vesicæ, refrigerante in febribus, per vigiliis.

MORA. *Offic. Botan. Classis Natur. Incompletarum, Germ. Maulbeer. Gallis Meures. Anglis Mulberry. Italis Moro.*

MORUS *foliis cordatis, hispidis.* Sapientissima arbor, verum thermometrum, duas habet species, colore fructus, & levitate foliorum distinctas. Utriusque fructus rubo similis, tamen maior, & longior est; hic dum maturus, atro ruber, vinosus, alter albus, fatuus magis, & inelleus; uterque alimentis, prior tamen medicinæ magis inservit: de his, ut & aliis horæis, inique multa GALENUS, & ex illo alii somniarunt.

USUS MEDICUS, ut aliorum fructuum horæorum solvens, in iisdem morbis gratus, & efficax. Podagræ pestem obortam ex penuria hujus fructus hyperbolice HEGESANDER: Scorbuto adversari BARTHOLINUS.

PRÆPARATA. *Syrupus, Roob.*

MYRTILLI BACCÆ *Offic. Botan. VAC-*  
*CINIA NIGRA. Classis Natur. Fructiflorarum. Germ. Heydelbeer. Gallis Airelle, Myrtle. Anglis Whortles.*

VACCINIUM *caule angulato, foliis serratis, annuis.* Fructus exiguo rotundo calyce coronatus, ex cærulo nigricans, dulcis cum siccitate, & stypticitate, edulis Botanicis.

Crantz M. M. T. I.

D

USUS



USUS MEDICUS robors, adstringens. Letalem alvi constipationem ex decocto, quæ tamen in diarrhoeis, dysenteriis eius usum magis confirmet, habent BRESLAVIENSES.

PRÆPARATA. Syrupus egregiæ virtutis roborantis in laxitate oris, gingivarum, intestinorum; prodet etiam scorbuto laxe.

OLIVÆ Offic. Botanic. OLEA. Classis Natur. Pauci - stam: Germ. Oliven. Gallis Olives. Anglis Olives. Italis Olive.

OLEA foliis lanceolatis. Glandiformis, immaturus, viridis, decerpitur fructus, muria conditus ad nos adfertur, inter condimenta, & bellaria relatus: probantur turgidulæ, carnosæ, teneræ, virides, saporis oleosi, grati cum amaro, leni aromate; flavescentes iam, aut vero nigricantes, maturiores, ingratæ, & in corruptionem tendentes. Officulum ingens. Ex olivis *oleum olivarum* adeo notum. *Omphacium* etiam ex immaturis olivis olim parabatur.

USUS MEDICUS olivarum pro commendando halitu eximius, etiam ventriculo gratus. Est potentissimum solvens medicamentum, hinc spleneticas esse olivas ex observationibus reliquit BRUNNERUS. Oleum emollit, laxat, lenit, acrimoniam omnem contemperat, bonum oleo amygdalino semper præferendum obest tamen oculis illitum, SLOANE Acad. N. C. vol. X. Venenis resistit, ut experimenta in Anglia facta docent, sed de his, ut & de oleis, vide ANTIDOTA. Folia oleæ cuniculis exhibita urinam cruentarunt. MAGNOL apud SLOANE, ibidem.

PERSI-



PERSICA *Offic. Botanicor. A MYGDALUS.*

Class. Natur. Calyciflorarum *Germ. Pfirschen.*

*Gallis Peche. Anglis Peaches.*

AMYGDALUS *foliis serratis acutis.* Fructus globosus, admodum pulposus, ut etiam proprio pondere subcontundatur, succulentus, secundum longitudinem sulcatus, tenui involucrum, carneum, roseo colore perfusum habet, pulpam albam, palato grataam, vinosam, officium ligneum, inæquale, sulcatum, nucleum includens amaruin. In usus alimentares estur crudus, coctus: conditus etiam spiritu vini & aliis, per hincem servatur. Ex nucleis cum Spiritu vini paratur *Perfico.* Venenata hæc mala veteres jam credidere, imo, & inde mortes recensent recentiores, an certæ fidei? monuit COLUMELLA, iam, „oblita nocendi.

USUS MEDICUS solvens. In obstructionibus, in febre acuta biliosa, solatio & sanitati fuere multis, teste *Illust. L. B. Van - SWIETEN,* decocto hordei incocta, intrita. *Nucleorum* contra vermes non certa experientia est. *Flores* huc non spectant utpote leniter emetici, & purgantes, hos & tenera folia aliquid singulare habere vermibus iniamicum. BOULDUC.

PRÆPARATA. *Conserva* florum persicorum virtutis purgantis ab unc. semis ad unc. I. *Syrupus* ejusdem virtutis infantibus ad unam, duas, & tres drach. *Aqua* florum persicorum.

PINEÆ, seu PINI NUCES *Offic. Botanicor.*

Classis Natur. Incompletar. *Germ. Zirbelniisselein.* *Gallis Pignons. Anglis Pinkernels or Nuts. Italis Pignoli.*

PINUS *foliis geminis, primis solitariis ciliatis.* Hoc nomine in officinis veniunt nuclei tenui mem.

D 2 brana



brana velati, oblongi, semirotundi, albidi, non maculati, dulces; laudantur in usum alimentarem, & medicum. Multo oleo abundant, ob quod etiam facile rancescunt.

USUS MEDICUS ut pistachiorum idem, imo antiquior, quod in Æsculapii templo marmorea reperita tabula fuerit, in qua sanguinem rejicientibus ex pectore pinorum nuclei in medicinam præscripti sunt.

*Oleum conulorum pini* destillatum, quod in officinis non habetur, in stupore, paralysi, arthritide tum potum, tum inunctum, cum spiritu lumbricorum laudat HAGENDORN *Ephem. N. C. Decad. 2. anno 3.*

PISTACHIA *Offic. Botan. Classis Naturalis Incompletar. Germ. Pimper-Nus. Galli Pistaches. Anglis Fisticlunts. Italij Pistacchi.*

PISTACHIÆ foliis impari pinnatis, foliolis subovatis, recurvis; fructus amygdalis tenuiores, oblongi, duplice etiam putamine cinguntur, exteriori membranaceo, colore primum viridi, arido, cinereo fragili, altero crusto magis, quam osseo, sub quo adhuc membrana coloris purpurei, quæ nucleum viridem, pingueum, dulcem, palato gratum, subacrem, exhibet, latet. Eundem in re alimentaria & medica usum, ac amygdalæ, in bellariis, & hinc inde in emulsis habent: longe vero plus oleosi cum sint, citius corruptiuntur, & rancescunt: unde ponderosi non rancidi eligendi.

USUS MEDICUS, ubi exhausta corpora reficienda sunt, & præfens deinulcenda acrimonia est, ut in



in valde tussientibus, hæmoptoicis, phthisicis, in quibus sanguis suo balsamo-plastico destitutus, utilis; forma emulsi ad lib. I. aquæ, XII. XV. recentes fructus, sufficient.

**POMA** *Offic.* *Botan.* **SORBUS** *Class.* *Natur.*  
*Calyciflorarum. Germ.* Apfel nicht Birn. *Gal-*  
*lis Pomme. Anglis Apple. Italis Pomi.*

**SORBUS** *foliis serratis, fructu sphærico, quinque*  
*loculari.* Plurimæ sunt horum differentiæ, ab omni ævo  
 mortalibus gratissimum semper præbentes alimentum,  
 licet magni nominis medici iniquius ea rejecerint.  
 Considera immensem copiam, ludentium ingentem  
 varietatem, diuturnam horam etiam in seram hye-  
 mem constantiam, haud assentiri poteris ideo a sum-  
 mo Numine creata esse, ut amabili varietate, eximia  
 fragrantia, blandissimo sapore, adeo diu persistantia,  
 in perniciem mortales constanter ducant, ut illi qui-  
 dem voluere. Flatulenta esse verum est; sed flatu-  
 lenta coctione, assatione corrigitur. Igitur sic præ-  
 parata debilibus, dum cruda manducantur robustis,  
 exhibenda. Cæterum iatæperantiæ magis, quam ma-  
 lae fructus qualitatì inde enata vitiæ rectius adscripseris.

Succus pomorum fermentatus *vinum* est, non infi-  
 mum; dum est recens *pomaceum* dieitur *Cidre*, bis  
 fermentatum *acetum* dat communissimum. A Poma-  
 ceo eolicam Pictonum induci **HUXHAM & BONTE**  
 viderunt.

**USUS MEDICUS.** Assatorum pulpa ophthal-  
 miæ convenit; gelatina succo citri, saccharo, momen-  
 to cinnamomi acuata, gratissimum exhibit etiam ægris  
 cerculum. Matura dulcia, fragrantia, vinosa, dis-  
 secta



fecta in taleolas, hordeo, avenæ incœta, gratiorem efficiunt ptisanam in acutis, dupli satisfacientein; quæ & humorum hie densitati, ibi putredini resistat, indicationi.

**PRUNA** *Offic. Botan. Classis Naturalis Calyciflorarum. Germ. Pflaumen. Gallis Prune, Anglis Prunes.*

**PRUNUS inermis**, *foliis lanceolato-ovatis.* Infinita varietate ludunt, mensis, & officinis adhibita matura, siccata dulc-acida, acido-dulcia &c. pruna, seu pruneola. Brignoliensia fructum exiguum, grata acidum habent; majorem Damaseena; Moravica dulcissimum, minorem. Cruda, exsiccata, farcta, in vino cocta, esitantur.

**USUS MEDICUS** ad primas vias humectandas, abstergendas, alvum molliorem reddendam, etiam facilitandam, utilis: decoctum vel jus prunorum alvum emollit, laxat, unde sæpe aliorum purgantium vehiculum est, & ingratum horum saporem temperat, maxime pueris accommodatum, cum sena, manna. In ore detenta acida pruna molestam hydropicorum fitim fallunt.

**PRÆPARATA.** *Pulpa* prunorum non adeo usitata.

**PYRUS** *Offic. Botanicorum SORBUS Classis Nat. Calyciflorarum Germ. Biern. Gallis Poire. Anglis Pear.*

**SORBUS** *foliis serratis fructu turbinato quinque loculari.* Ut infinitus pene pro soli, coeli, culturæ ratione, pomorum est numerus, ita non pauciores pyrorum sunt diffe-

differentiæ, ratione saporis, quod in re cibaria maximi momenti est. Sunt enim austera, dulcia, aquosa, vinoſa pyra: Cocta, affata, condita, crudis utiliora. Advocantur etiam in uſum ſiccata. Ex maturis preſſis fit pyraceum, ſpecies vini, Galli *Sydre* vocant.

## USUS MEDICUS nullus.

RIBESIA Offic. Botan. Classis Nat. Calyciflorarum. Germ. Ribesel. Gallis Groseilles. Anglis Currans. Italies Veterosse.

RIBES etiam differentias patitur, est enim ribesium fructu rubro, fructu margaritis simili, seu albo, & est ribesium folio olente, fructu nigro; quisque in alimentis, & officinis notus. Hujus planta floribus planiusculis, illius floribus oblongis definitur, & cognoscitur. Albi, & rubri fructus magis familiares, acidi ab aliis fructibus horæis, quod minus in putredinem proni sunt, recedunt. Nigra ribesia saporem habent maxime balsamicum, odorem similem, acido quidem mixtum, sed ab aliis tamen ribesiis distinctum, pellem viridem, pulpam viridem non nigram. Hæc spiritu vini conservari solent. Recentia folia frumenti spiritum ita tingunt, ut spiritum vini æmuletur.

USUS MEDICUS rubri, & albi idem, solvens, putredini resistens, in febribus æstu, siti utilis; sic potum æstivum ex contusis ribesii colatum, saccharo admixto temperatum, gratissimum multi parant, dum in lib. aquæ hordei, unc. II. IV. ribesiorum teruntur non nimis valide, ne semina austera quassentur; adjecto saccharo potus febribus proficuus habetur. Nigrum ribesium longe magis medicamentosum est. Turiones laudant vi diuretica, detergente, ulceribus



renum, vesicæ utiles: folia balsamica, vulneraria, in morbis pectoris, tussi, asthmate, infusa, multum celebrata in Gallis; in rabie, hydrophobia, dysenteria, morbis contagiosis, herbam, & stipites LINNAEUS præstantem habet medicinam. Baccæ balsamicæ sunt, diureticæ, spiritui vini infusæ elixir dant hydropicis utile, diureticum: sunt adhuc anginis utiles baccæ, quod etiam nomen anglicum indicat, & aliis non curabiles his curantur. TRANS. Philosoph. N. 459.

RUBI IDÆI FRUCTUS Offic. Botanico-rum, Classis Natur. Calyciflorarum. Germ. Himbeer. Gallis Framboise. Anglis Hind-Berry.

RUBUS foliis ternatis, et quinatis, costa plerumque inermi, fructu rubro, villoso. Moris similis fructus, sed minor, odoratior, rosei coloris, etiam Rubimorum dictus, gratissimus in alimentis, & medicina est. Ex rubo hydromel gratissimum conficiunt Russi.

USUS MEDICUS. Succum fructus analepticum, cardiacum, gratuum, non acidum ut ribesiorum, omnibus perlis, & geminis in hunc scopum merito, præfert GESNERUS. Erysipelati, & ophthalmiæ flores adhibentur; folia in gargarismatibus adhibita, tumentes in gutture partes reprimunt, firmant.

PRÆPARATA. Acetum rubi idæi. Aqua fillat: Spiritus, Syrupus, quæ, si bene parata, fragrantiam habent suavissimam.

RUBUS VULGARIS FRUCTU NIGRO  
Offic. Botan. Classis, & nomina eadem.

RUBUS foliis ternatis, et quinatis, costa spinosa, fructu nigro, lœvi. Notissimus fructus, profunde niger



niger, ab omnibus estur, infantibus maxime gratus, subdulcis, aquosus.

USUS MEDICUS in diversis hujus plantæ partibus varius. Radicem aperientein, diureticam habent, hydropticis utilem, folia detergentia cum ad strictione tamen, unde anginis aquosis, ulceribus laxis, firmandis gingivis, accommoda; humili-rubi folia, spinis purgata, supra cineres calidos macerata, aut condita, pultem efficiunt, rebelles suppurationi paronychias moventem, & nonnullis arcana sunt hæc folia.

SAMBUCI BACCEÆ *Off.* *Botan.* *Nat. Classis*  
Fructiflorar: *Germ.* Holderbeer. *Gallis Bayes*  
*de Sureau.* *Anglis* Eldersberries.

SAMBUCI *arboreæ floribus umbellatis baccæ*, sub-rotundæ sunt, in initio virides, per maturitatem nigrae, semina includunt tria in conum conjuncta mucronata, hinc convexa, inde concava. Baccæ gustu subdulces, succum præ saturata rubedine nigrum, manus pertinacissime inficientem, acido fossili solum delendum, possident. Harum usus veteribus non adeo familiaris. Flores rem nostram cibariam augent, in sartagine frixantur, & gratum cibum multis concedunt: baccæ cum melle in sapim coquuntur.

USUS MEDICUS totius plantæ late diffusus;  
vix enim ulla pars est, quæ non egregias partes agat.  
*Turiones* dum verno tempore in acetariis majori quantitate esitantur, validissime purgant. *Flores* recentes alvum laxant, siccati dant remedium ad omnes morbos crysipelatosos, a perspirabili impedito ortos, foramina theiformi utile; inflammatis, erysipelatosis, rheuma-



ticis, arthriticis, podagricis locis, forma sacculi, cataplasmati, multum depraedatum: discutit enim, resolvit, & lenit. Decoctum florum cum lacte calidum partibus arthriticis affusum laudat **CHEVALIER** *Recueil periodique*. An quia siccatae flores & spiritum urinosum & salem urinosum magna quantitate habent, dum recentes hanc vim acido temperatam possident?

**HIERNE** *Tent. 3.* Maximam adhuc famam meruere in cancro, in quo quibusdam arcani sunt, non quod depascentem hunc morbum sanent, sed quod exulceratum leniant, dum, quod de virulentia cancri resorptum est, eluunt. *Folia contusa* in cataplasmata redacta, tumores cœdemosos, aquosos, certo curant; an scirrhosis, inflammatoriis, ad quos laudent multi, applicandi? iis in podagra etiam utuntur haud certo experimento. *Cortex*, medianum vocant, vel vino solùm infusus purgat drachmarum duarum mole; *Succus expressus* præfocandum etiam præ aqua hydropticum emungit, ad unciam dimidiām, unam datus: est etiam ubi duplicari dosis debet. *Radicis* duæ drachmæ, uncia semis, in scobem rasæ infusa, decocta, eundem effectum habet. *Seminis* etiam drachma purgat.

**PRÆPARATA.** Ex floribus *aqua stillatitia*, discutiens, diaphoretica: *Spiritus* in eundem scopum venit, ut & *acetum* sambucinum, etiam cephalicum. Ex baccis *Roob* raro sedule in officinis paratum, nigrum, adustum, empyreumaticum, quod deberet esse sanguineum, sapidum, acidulum, gratum. Medicamentum est cum acetō, potu theiformi certo diaphoreticum *Roob*, quod etiam sal volatile in crystallos adamantinis gemmis artificiose sectis concretas dedit

**HIERNE.** *Tent. 3.*

SILI-



SILIQUA DULCIS *Offic. Botan. CERATONIA* L. *Classis Natur. Incompletarum. Germ. Bockshornlein. Gallis Carouge. Anglis Carob.*

CERATONIÆ in usum tam alimentarem quam medicatum veniunt fructus, qui & in illis, ubi abundantiter crescunt, locis, in cibum dentur porcis; & educto ex his melle radices zingiberis, & myrobolani condiuntur.

USUS MEDICUS tussientibus, orthopnoicis, raucis, etiam a vulgo assignatus in cibum, aut in decoctum; dosis ad lib. I. aquæ unc. semis, una.

PRÆPARATA. Syrup: de siliquis seu diacodium liquidum, quod in tussi acri, convulsiva laudandum, ut & Syrupus seu *diacodium crocatum*, quod solo addito croco distinguitur, parciori dandum dosi.

VITIS IDEÆ BACCÆ *Offic. Botanic. VACCINIA RUBRA*. *Classis Naturalis Fructiflorarum. Germ. Rausch. Gallis Aurelles rouges. Anglis Red Whortle.*

VACCINIUM foliis buxi perennantibus. Fructus ruber, longe sapidor myrtillo, acidus, nonnisi in montanis reperiendus, solis apud nos Botanicis gratus, in aliis regionibus communius estur.

USUS MEDICUS vix ullus cognitus: infusum Theiforme foliorum, amarum, nonnulli ad catarrhales defluxiones inhibendas sumunt. Interea vero scire juvat, vaccinium uliginosum L. seu foliis annuis exalbidis, vitam ideam II. CLUSII p. 61. 62. suspectam esse



esse; copiosius enim assumitæ baccæ temulentiam cum fugaci cephalalgia interdum causant. LINNÆUS.

UVA. *Botanicorum, VITIS* viniferæ fructus.  
Classis Naturalis Pauci - stam: Germ. Weinbeer. Galli Raisins. Anglis Rayfons. Italis Uve.

*VITIS foliis palmato angulatis.* Uvis, & sicibus inter autumnales fructus principatum merito tribuit GALENUS. Uvæ satis nutriunt assuetos, dum maturæ, dulces, vinosæ saccharini saporis sint, licet & in his multa differentia; non assuetis alvum solvunt, imo etiam diarrhœam excitant terribilem, exhaustentem, fusis per alvum, & vomitum totius corporis bonis, periculosa omnibus sanis, forte solis salutarem melancholicis & maniacis. Hoc ex recenti maturo fructu damnum est, hoc est præsidium.

Scire autem juvat, ex uvis in usus nostros plurima parari. Ex immaturis expressus succus est omphacium, ex maturis mustum. Prius vi adstringente valida, de qua alias, posterius solventissima, & periculosa gaudet: mustum fermentatum vinum est, fermentatum vinum acetum. Maturæ integræ, insolatæ, vel alio artificio difflata parte aquosiori siccatae, uvæ passæ, vel passulæ simpliciter vocantur, & quia de his maxime nobis sermo est, eas exactius distinguemus. Inter has quæ maximæ sunt, & e vite Damascena, Syriaca, Hispanica, Hungarica, desuntæ sunt, passulæ majores, etiam cubebæ simpliciter dicuntur: quæ minores, & e vite Corinthia, Zaczynthia, Cephalonia, ciceris magnitudine, parvæ, passulæ minores, seu Corinthiacæ nominantur; utræque in mensis fatis notæ, ut describi non debeant.

USUS



USUS MEDICUS ad pectoris morbos, renum, vesicæ vitia, utilis. Succus uivarum passarum maiorum ablatis gigartis inspissatus, blanda vi demulcet, & simul leniter solvit, unde familiares in decoctis ad unc. semis, unam. Vinacea ab uvis expressis residua, maximam roboran tem virtutem habent, ad œdemata, partes paralyticas, dolore ischiadico, arthritic o vexatas roborandas, proficuam, forma balnei sicc i, cataplasmati s.

PRÆPARATA. Syrup. de agresta; pulpa, quæ ex passulis minoribus per setaceum trajectis fit, laudata, cum syrupo in looch cogenda, pulvere in electuarium: decoctis ad unc. unam & plus addi potest. Passulæ purgantes, delicatioribus, medicamenta nauseantibus, exhibendæ, ad cochlearia duò, tria, vix vero multum efficaces sunt.

**H**is jam plures alii fructus tam sanis, quam ægris utiles, ut jujubæ, sebesten, castaneæ, lazeroli acidi, biliosis utiles, tum & tuber, solanum esculentum, & alia addi possunt. De his vero omnibus vindenda dissertatio LINNAEI *de plantis esculentis*. Alii fructus, quod manifeste adstringant, in adstringentium classem relati habentur.



ANI-

---

## ANIMALIA.

**E**t si experientia firmiore constet, salubriores escas, suaviores, atque multo plures præbere **ANIMALIA**, quam fruges, olera, & fructus, tamen in horum usu diversis diversæ palatis carnes sapiunt. Moderni Tartari equina semieruda carne vescuntur, sanguinem etiam equinum potant. In deliciis carnem, & lac camelii, Arabes habent, & septentrionalium multi, lupo, vulpe, tarrando vivunt. Guineæ, & Senegal incolæ canibus delectantur, hos pinguefactos in forum pecuarium Chinenses dueunt. Afriæ, & Asiæ multis populis, coriacea Rhinocerotis cutis cibus, & Afris monstra, aliis mundi plagiis ignota, alimentum: in deliciis pantheras, crocodillos, leones, elephantes, serpentes, & simias habent, quin nec carne humana abstinent, inimicos cum gaudiorum ex religione amicos & parentes mandueant, quasi honorificentius esset humano stomacho tumulari hominem, & digeri, quam terra obrui, & vermis tradi!

Quoad animalium diversorum naturam, in genere teneri debet, hominem sanum, & viribus firmum, mammalibus plus nutriri, est enim horum caro alimenti solidioris, validioris. Aves carnem gratiorem, delicatiorem habere, flaccidiorem pisces, haud multum nutrientem; valentiorem iterum amphibia: quandoque duram, quandoque facilem testacea, etiam Mollusca: esse etiam pro diversis generibus eiusdem classis saepe multam differentiationem, in his iuventam, in illis medianæ ætatem, in illis consistentem laudari: domesicia sylvestribus deteriora omnium consensu, quod minus exerceita; etiam pisces rapidarum aquarum salubriores, quam aquarum stagnantium. Alia apud C E L S U M videri possunt.

MAM-



## MAMMALIA.

**M**a minoris præcipue MAMMALIA cognoscuntur. Horum pleraque quadrupedia continentem inhabitant, dum vix nata pauca, sese intra pelagum subducunt L.

## BESTIÆ.

APER, SUS. *Zoologorum SUS.* Classis Natural. Mammalium. Ordo Bestiarum. *Germ.* Schwein, Wildschwein. *Gallis Cochon,* Sanguiner. *Anglis Hog.*

**S**US dorso antice setoso, cauda pilosa. Duplex est domestica, & sylvestris; in usus alimentares adhibetur utraque, ut & utriusque porcellus, qui tenerior, minus viscidus, multum in mensis expeditus: tum matalis. Domesticæ caro flaccidior, pinguor, glutinofior, difficilis digestionis, multum nutrit; sylvestris firmior, siccior, cursu magis exercita, melior, priori facilius digerenda, tamen etiam robusta viscera deposit: fortissima fumo induratum lardum ut & perna, quam tamen crudam nonnulli cocta salubriorem habent. In hac familia fœminæ non optimæ. Una tertia transpirationem insensibilem minui ab esu carnis suillæ SANCTORIUS monuit, ut clarum, etiam inde morbos cutaneos generari, vel ab alia causa generatos intendi posse.

BRU-



## B R U T A.

MANATI, seu VACCA MARINA. *Zoologorum TRICHECUS.* Classis Naturalis Mammalium. Ordo Brutorum. *Gallis Lamentin.* Manati *Italis.*

**T**RICHECUS *Manatus.* Carne in firmam bovinæ similem habet, esculentam, validam. Lapidis pulvis scrupuli dosis a nonnullis ad colicam laudatur.

## G L I R E S.

CASTOR *Zoologorum.* Classis Naturalis Mammalium. Ordo glirium. *Germ.* Biber.

**C**ASTOR *cauda ovata, plana.* Validum alimento est; cauda exquisitissima sanis. Cæterum juvenis annoliori præfertur. De castoreo medicamento alibi dicetur.

LEPUS *Zoologorum.* Classis Naturalis Mammalium. Ordo glirium. *Germ.* Has. *Gallis* Liévre. *Anglis* Hase.

LEPUS *timidus, cauda abbreviata, auribus apice nigris.* Junior 6. 7. 8. mensium facile, sed exiguum, adultior annum superans, longe difficile, itidem exiguum nutrimentum concedit. Adhæc locis humidis viventes aliis minus utiles, minus sapidi.

LEPUS CUNICULUS. *Germ.* Kaninichen. *Gallis* Lapin.

*Cauda abbreviata, auriculis nudatis:* præcedenti facilior cibus, plurimis nationibus, maxime Gallis infus;

usu; ferus domeslico præfertur. In illis media ætas laudabilis.

### PECORA.

**BOS.** *Zoologorum. Classis Naturalis Mammalium. Ordo Pecorum. Germ. Ochs. Gallis Beuf. Anglis Ox.*

**BOS** *cornibus teretibus, extrorsum curvatis, palearibus laxis.* Diversis in regionibus carnem plus minusve sapidam habet; ex Hungaria nobis advectus optimus. Omnes fere ejus partes in alimentum cedunt, caro magnam vim alibilis extracti habet, docet id usus quotidianus, & experimenta *Clariss. GEOFFROY. Acad. de Sciences 1730.* Bubulam carnem stomacho sano convenire, difficilius digeri, digestam tamen præbere alimentum sanitati constanti præditis conveniens, *HORSTIUS de esculentis, & potulentis.* Caro vaccina non adeo sapida: tauri vix grata, nec tam boni alimenti, ut bovis juvenis, pinguis, bene nutriti. Extremæ enim ætates, ut in aliis non paucis, ita in his quoque vitiosæ sunt, mediæ optimæ, & saluberriæ. Vituli iuvenis caro, concoctionis facilis, & boni nutrimenti est, conduceens delicatulis debilibus, assata tamen sæpius podagram provocat, *Acad. N.C. vol. IX.* juscula citissime in calore æstivo acefcunt.

**CAPRA** *Zoologorum. Classis Naturalis Mammalium. Ordo Pecorum. Germ. Ziege. Gallois Chévre. Anglis Goad.*

**CAPRA hircus, cornibus carinatis, arcuatis:** ut in priori, etiam in hac familia, hædus læctans 5. 6. *Crantz M.M. T.I.* E men-



mensium tenerior est, hircus pater difficillimæ digestionis, carnem habet etiam ob eximum fœtorem ingratam, raro mensis adhibitam. Etiam vilior capræ caro est, in Italia solum cognita, boni tamen esse alimenti Athleta THEBANUS hac solum vivens, & omnes robore superans, satis superque probavit.

**CAPRA RUPICAPRA.** *Germ.* Gämse. *Anglis* Gazel.

*Cornibus erectis, uncinatis.* Laudabilis alimenti est.

**CERVUS** *Zoologorum.* Classis Naturalis Mammalium. Ordo pecorum. *Germ.* Hirsch. *Gallicis* Cerv. *Anglis* the Hart or stag.

**CERVUS elaphus, cornibus ramosis, teretibus, incurvis.** Lactantes optimi, his unius anni adolescentes, tum duorum annorum iuvenes succedunt in mensarum deliciis. In adultioribus collum cum tribus primis costis exquisitum magis, aliæ magis duræ partes, & difficilis digestionis. Cervæ caro carne cervi deterrior est, omnium deterrima catulentis.

**CERVUS Capreolus.** *Germ.* Reh. *Gallicis* Chêvreuil. *Anglis* Roe-buck.

**CERVUS Cornibus ramosis, teretibus, erectis, summitate bifida.** Hujus caro optima, plurimi nutrienti est.

**CERVUS Dama cornibus ramosis, compressis, summitatibus palmatis.** Iuvenis boni succi, & alimenti, adultior durior & difficilis digestionis; hircum non adeo fortiter olet, capreolo inferior semper.

OVIS



OVIS *Zoologorum.* Classis Naturalis Mammalium. Ordo pecorum. *Germ.* Schaaf. *Gallis* Mouton. *Anglis* Sheep.

OVIS *cornibus compressis, lunatis.* In hac familia ovis, & arietis fœtus agnus, laudabilis maxime, si jam ætatem habet; iunioris enim caro glutinosa, viscosa, mali succi censetur. Cæterum quæ mediæ ætatis est, omnium optime assumitur debilibus, humectans, reficiens, etiam acrimoniam domans; vervecina caro, prout variis infecta plantis, quas animal voravit, valens, contusa, grata palato, & optimi & pluriimi nutrimenti; deterioris & minoris ovis; durissima & ingratissima arietis.

OVIS *cornibus erectis, spiralibus.* Hungariæ incolæ caro dura, tenax, mensis adhibetur aliorum defectu, difficilis est digestionis, nec multi alimenti.

## A V E S ACCIPITRES.

GARRULUS BOHEMICUS. *Ornithologorum* LANIUS. Classis Naturalis Avium. Ordo Accipitrum. *Germ.* Zufserl.

LANIUS *garrulus, remigibus secundariis, apice membranaceo, colorato, cauda integra.* Delicata avis, & expedita, boni succi, & alimenti.



## ANSERES.

**ANAS** *Ornithologorum.* Classis Natur. Avium.  
Ordo Anserum. Germ. Gans, Ente.

**ANAS**, *Anser*, *rostro semicylindrico, corpore supra cinereo, subtus pallidiore, collo striato.* Duum est generum, *ferus*, & *domesticus*, utriusque iuvenis, sapida caro, ferina tamen domesticæ prævalens, quod sapidior, etiam robustior. Extremæ ætates in his fugiendæ sunt.

**ANAS** *Boschas.* Germ. Stokente. *Anas rectirostris intermediis, (maris) recurvatis, rostro recto.* L. Etiam duum generum, *fera*, & *domestica*: *fera* domesticæ tum ob gratiam saporis, tum ob facilitatem digestionis, præfertur, licet etiam posterior visceræ robusta requirat; in hac gente, ut in non paucis aliis, fœminæ in aribus potiores, & iuvenes annosis præferuntur.

**ANAS** *Querquedula*, *macula alarum viridi, linea alba supra oculos.* *Fera avis, septentrionalibus familiaris, exigua, priori præferenda.*

Sunt adhuc aliæ harum species edules plures.

**MERGUS** *Ornithologorum.* Classis Naturalis Avium. Ordo Anserum. Germ. Tuckantl.

**MERGUS** *subcribellatus, fronte castaneo-ferruginea.* In Austria frequens nobis in cibum cedit.

GRAL-



## G R A L L Æ.

**A**RDEA *Ornithologorum.* Classis Naturalis Avium. Ordo Grallarum. *Germ.* Blauer Rei-ger. *Anglis* Common-heron.

**A**RDEA *crista pendula*, *dorso caerulecente*, iu-venis estur, delicatioribus mensis expetita, raro adhibita annosior, durior. In Austria totum genus vix in usu.

**FULICA** *Ornithologorum.* Classis Naturalis Avium. Ordo Grallarum.

**FULICA** *atra*, *Aust.* Rohrhendel. *Fulica fronte calva*, *corpo nigro*, *digitis lobatis.* Caro succulenta, bona, paludes sæpius sapit, & ob id ingrata.

**GALLINAGO** Minor. *Ornithologorum* Scopax. Classis Naturalis Avium. Ordo Grallarum. *Scopax Gallinago.* *Germ.* Mooschnepf. Béc-cassine *Gallis.*

**SCOPAX** *rostro recto*, *apice tuberculato*, *pedibus fuscis*, *lineis frontis fuscis quaternis.* Tenera, sapi-da, excellens caro, difficilis tamen digestionis cen-setur.

**OTIS** *Ornithologorum.* Classis Naturalis Avium. Ordo Grallarum. *Otis tarda.* *Germ.* Trap. *Gallis* Otarde. *Anglis* Bustard.

**OTIS** *jugulo utrinque cristato.* Hungariæ familiaris, etiam mensis ibi eximia: iuvenis, licet tenerior, aeri exponenda, adultior nobis aceto imaceratur, va-lens est, sed plurimum dat nutrimenti.



RALLUS *Ornithologorum. Classis Naturalis Avium. Ordo Grallarum.*

Rallus *Aquaticus. Germ. Wasser Hennl. Gallis Rasle d'eau.*

RALLUS *alis gryseis, fuso maculatis, hypochondriis albo maculatis.* Seligi iuvenis, pinguis, odore paludofo carens, debet; satis difficulter digeritur, multum tamen nutrit.

Rallus *Crex. Germ. Wachtel König. Gallis Roi de cailles.*

RALLUS *alis rufo ferrugineis.* Inter regias daptes recensetur, iuvenis, pinguis, aere maceratus.

SCOLOPAX *Ornithologorum. Classis Naturalis Avium. Ordo Grallarum.*

Scolopax *Rusticola. Germ. Waldschnepf. Gallis Bécalie.*

SCOLOPAX *rostro rebio, lœvi, pedibus cinereis, femoribus testis, fascia frontis nigra.* Carne in excel lentem, nutrientem habet, palati in mensis delicias. Avis haud exenterata estur, difficilius tamen, quam carnium albarum aves, digeritur, valet in acrimonia acida in cibo.

Hujus plurimæ adhuc aliæ species usitatæ.

VANELLUS. *Ornithologorum TRINGA.*

*Classis Naturalis Avium. Ordo Grallarum.*

TRINGA *Vanellus. Gallis Vanneau.*

TRIN-



**TRINGA** *pedibus rubris, crista dependente, pectoro nigro.* In Galliis aestimata avis, aere macerata facile digeritur, mediocriter alit. Ova Belgis in delicis sunt.

**TRINGA** *squatarola, rostro nigro, pedibus vire-scentibus, corpore gryseo, subtus albido.* Prior delicatior. Sunt adhuc aliæ mensis exhibitæ harum species.

## GALLINÆ.

**COTURNIX.** *Ornithologorum Tetrao.* Clas-sis Naturalis Avium. Ordo Gallinarum.

Tetrao Coturnix. Germ. Wachtel. Gallis Caille. Anglis Quail.

**TETRAO** *pedibus nudis, corpore gryseo, maculata, superciliis albis, margine lunulaque ferruginea.* Exquisita horum olim esca etiam hodie expedita est, facilis digestionis & boni nutrimenti.

**GALLUS GALLINACEUS, & Gallina.**  
*Ornithologorum Phasianus.* Clas-sis Naturalis Avium. Ordo Gallinarum. Germ. Hahn: Hen-ne. Gallis Coq. Poule.

**PHASIANUS** *cauda compressa, ascendente.* In hac familia feminæ præstantiores; iuniores carnem habent sapidam, boni succi, & multi nutrimenti, reconvalescentibus utilem: annosæ jusculis nutrientibus adhibentur, caro non estur durior. Iunior pullus salubris, gallinæ præferendus. Est etiam multæ æstima-tionis caponis caro, nutrientissima, maxime Stiren-sis; nec gallus gallinaceus mensis in integrum proscriptus.



72 CARDIAC. NUTRIENT.

Cristæ galli gallinacei ferculum largiuntur exquisitum; annosus iuscum dat nutriend.

PHASIANUS *Meleagris*. Perlhan *Germ.* *Vertice calloso, temporibus carunculatis.* Carnem sapi-dissimam largitur, dum aeri aliquantulum exponitur, ut semper id necesse.

PHASIANUS *colchicus*. *Germ.* Fasan. *Gallis Phaisan. Ruffus capite cæruleo.* Mas fœminæ potior, & hic iuvenis, pinguis, delicatissimus, facilis digestio-nis, boni succi, & plurimi alimenti.

GALLINA *Corylorum. Ornithologorum Tetrao.* Classis Naturalis Avium. Ordo Galli-narum.

TETRAO *Bonasia.* Haselhun, *pedibus hirsutis, redribus cinereis, punctis nigris, fascia nigra, exceptis intermediis duabus.* Optimis apposita mensis perdice delicatior, etiam facilius digerenda, plena bo-ni & alibilis succi.

GALLOPAVO. *Ornithologorum MELEA-GRIS.* Classis Naturalis Avium. Ordo Gal-linarum. *Germ.* Indian. *Gallis Coq. d'Inde.*

MELEAGRIS *Gallopavo, capite caruncula frontali, crista gulari, maris pectore barbato.* Sapidam carnem habet, facilis digestionis, multi nutrimenti: attenuatis reconvalescentibus utiles, iuvenes in cibo de-licatuli, annosi in iuscule melius dantur. Castrati in hac specie optiuni.

LAGO-



**LAGOPUS.** *Ornithologorum* TETRAO.  
Classis Naturalis Avium. Ordo Gallinaruim.

Tetrao *Lagopus*. Germ. Schneehun.

TETRAO *pedibus lanatis, remigibus albis, rectricibus nigris apice albis, intermediis totis albis*. Non infima, inter delicatas, avis.

**PERDIX CINARCA.** *Ornithologorum* Tetrao.  
Classis Naturalis Avium. Ordo Gallinarum.

Tetrao *Perdix*. Germ. Rebhun. *Gallis Perdrix*.  
*Anglis* Common partridge.

TETRAO *pedibus nudis, macula nuda coccinea pone oculos, cauda ferruginea, sterno brunneo*. Æstimatissima delicatulis mensis, bene nutrita, iuvenis, & aliquot diebus aeri exposita perdix, facilis digestionis, & multi est alimenti. Juscula ex his confecta restaurant extenuatos, & reconvalescentes, & perdicis carnem temperatam succi bonitate & concoctionis facilitate præstantem iam olim experientia **GALENUS** edixit.

**UROGALLUS MAIOR.** *Ornithologorum*  
Tetrao. Classis Naturalis Avium. Ordo Gallinarum.

Tetrao *Urogallus*. Germ. Auerhan.

Tetrao *pedibus hirsutis, rectricibus exterioribus brevibus, axillis albis*.

**UROGALLUS MINOR.** *Ornithologorum*  
Tetrao. Classis Naturalis Avium. Ordo Gallinarum.

Tetrao *Tetrix*. Birkhan.



TETRAO *pedibus hirsutis, cauda bifurca, remigibus secundariis basim versus albis.* Caligulæ in victimas olim oblatæ aves, sapidissimæ sunt, valentes tamen, duræ, aeri exponendæ semper, cæterum bonum dant alimentum.

### P A S S E R E S.

ALAUDA *Ornithologorum.* Classis Naturalis Avium. Ordo passerum. Germ. Feldlerche. Gallic Alouette, Mauvette, Anglis Common fieldlarck.

ALAUDA *rectricibus extimis duabus, extrorsum longitudinaliter albis; intermediis interiori latere ferrugineis.* Sapida, multi & facilis nutrimenti autumno est, tamen calculosis noxia, LINNAEUS, etiam podagricis Acad. N. C.

ALAUDA capite vitta annulari alba cincto, arborea. Germ. Waldlerche.

ALAUDA *pectore lutescente punctis atris,* Brein-Vogel, Schinal-Vogel *Austriacus.*  
Priori inferiores.

AVIS NIVIS. *Ornithologorum* EMBERIZA.  
Classis Naturalis Avium. Ordo Passerum.

EMBERIZA *nivalis remigibus albis, primoribus extrorsum nigris, rectricibus nigris, lateralibus tribus, albis.* Sapidissima avis in Alpibus Lapponicis, & Spitzbergicis, invenitur.

COLUM-



COLUMBA *Ornithologorum*. Classis Naturalis Avium. Ordo Passerum. *Germ.* Haus-taube. *Gallis* Pigeon privé. *Anglis* Common Pigeon. Dove.

COLUMBA *domestica*, iunior, optima, adul-tior coriacea, difficilis digestionis, pravi etiam succi, melancholicis, biliosis vetita.

USUS MEDICUS multus, in apoplexia, le-thargo, capiti, in febribus, pedibus, mediae dissectæ columbæ viventes applicantur. Stercus siccum pulve-ratum, rubefaciens est, rheumatisino utile, brachio melle, inuncto, inspersum; coctum in aceto, cum fa-rina dat cataplasma resolvens, discutiens.

COLUMBA *Turtur*. *Germ.* Turteltaube. *Gal-lis* Tourtorelle. *Anglis* Turtledove.

COLUMBA *turtur* eiusdem, ac *domestica* usus, & *sylvestris*, & *domestica* habetur; utriusque cara prio-ri tenuior, sapidior.

COLUMBA *Palumbus*. *Germ.* Wildtaube, Rin-geltaube.

COLUMBA *Palumbus torquatus*, prioribus de-te-rior, magis coriaceus.

FICEDULA. *Ornithologorum* MOTACIL-LA. Classis Natur. Avium. Ordo passerum.

*Motacilla ficedula*, *Gallis* Réc-sigle, *Italis* Beccafigo.

MOTACILLA *subfusca*, *subtus alba*, *peccore ci-nereo*, *maculato*, alitur sicubus, & uvis. Sapida, præ-stans avicula, multi alimenti, facilis digestionis, etiam Hortulano aliquibus præposita.

HOR-



HORTULANUS. *Ornithologorum* EMBERIZA. Classis Naturalis Avium. Ordo Passerum.

EMBERIZA remigibus nigris, primis tribus margine albo, rectricibus, lateribus duobus extrorsum nigris. In migratione per Austriam capitur delicatissima avis, & mensis adhibetur sapida, nutriendis. Fringillarum etiam plurimæ species, ut & motacillarum in usu mensarum haud exquisitiori habentur.

MERULA. *Ornithologorum* TURDUS. Classis Natur. Avium. Ordo Passerum.

TURDUS Merula. Germ. Amsel. Gallis Merle.

TURDUS ater, rostro palpebrisque fulvis. Juvenis, pinguis, non adeo facilis digestionis, multi tamen succi. Inferior in integrum turdo pilari.

MERULA TORQUATA. *Ornithologorus* Turdus. Germ. Ringel-Amsel.

TURDUS torquatus nigricans, torque albo, rostro flavescente: Priori non comparandus.

STURNUS *Ornithologorum*. Classis Naturalis Avium. Ordo Passerum.

Sturnus Vulgaris. Germ. Starl. Gallis Etourneau.

STURNUS rostro flavescente, corpore nigro, maculis albis notato. Rara in mensis avis, & non nisi juvenis pinguis admittenda.

TURDUS *Ornithologorum*. Classis Naturalis Avium. Ordo Passerum. Germ. Kranawet. Gallis Grive.

TURDUS pilaris rectricibus nigris, extimus margine interiore apice albicantibus capite uropygioque cano. Inter



Inter socias delicatissimus, optimis expetitus mensis, iuvenis, carnosus, tempore frigido captus, sanis, & reconvalescentibus recominendatur.

TURDUS *Muscus*. Wald-Dreschel. *Austri*.

TURDUS *alis subtus ferrugineis*, *linea supercilio-  
rum albicante*.

TURDUS *Viscivorus minor*. Weis-Dreschel.  
*Austriacus*.

Hæ inter minutulas aves recensentur. Possent ad-  
huc addi aliæ sexcentæ.

---

## *AMPHIBIA.*

Pessima, tetraque animalia corde uniloculari, uni-  
aurito, pulmonibus arbitrariis. pene dupli, di-  
gnoscuntur L.

ACIPENSER *Amphibiologorum Classis Natura-  
lis Amphibiorum*: Ordo Nantuum.

Acipenser *Sturio*. Germ. Schirck. *Gallis* Esturgeon.  
*Anglis* Sturgeon.

ACIPENSER *cirris quatuor, squaminis dorsali-  
bus duobus*.

Iam SEVERI Imperatoris ævo a coronatis mini-  
stris præeunte tibicine ad epulas ferebatur teste histo-  
ria, hodie nostris vix tanta ceremonia asportatur. Va-  
lidis visceribus multi nutrimenti.

ACI-



**ACIPENSER** *Tucka. Germ. Tück.*

**ACIPENSER** *rostro obtusifculo, ordinibus quinque squamarum ossarum: intermedio officulis decem.*  
KRAM. Non ingrata caro, pinguis, multum alit. Sequenti tamen multum inferior.

**HUSO.** *Amphibiologorum ACIPENSER.*

Classis Natur. Amphibiorum. Ordo Nantium.

*Acipenser Huso. Germ. Hausen. Anglis Singlafisch.*

Sapidissimam carnem vitulinæ similem mensis, Ichthyocollam œconomicis largitur.

**LAMPETRA.** *Amphibiologorum PETROMY-  
LON.* Classis Nat. Amphibiorum. Ordo Nantium.  
*Gallis Lamproye.*

**PETROMYLON** *Marinus ore intus barbato,  
pinna dorsali posteriore, a cauda distincta.*

**PETROMYLON** *fluviaialis pinna dorsali pos-  
teriori angulata.*

Edulis uterque, anguilla minus pinguis, firmus ma-  
gis, sapit, & alit multum, iam veteribus laudatus, &  
nobis adhuc hodie expetitus.

**RAIA** *Amphibiologorum. Classis Naturalis Am-  
phibiorum. Ordo Nantium.*

*Raia clavata. Gallis Ray-bouclée.*

**RAIA** *dentibus tuberculosis, cartilagine transversa  
ventrali.* Aliis speciebus minor non ideo minus deli-  
cata. Edules raiæ aliæ, ut & hæc, aere maceratæ, ut  
harum mollescat caro, quæ tunc sapida, grata palato,  
diffici-



difficilis tamen est digestionis; plurimi vero nec cito diffilabilis nutrimenti; diutius macerata alcalina est.

**RANA** *Amphibiologorum*. Classis Naturalis Amphibiorum. Ordo Reptilium.

**RANA esculenta.** Germ. Wasserfrosch. Gallis Grenouille. Anglis Frosh.

**RANA** *corpo angulato, dorso transverse gibbo, abdomine marginato.* Grata, non multi succi est.

**TESTUDO** *Amphibiologorum*. Classis Naturalis Amphibiorum. Ordo Reptilium.

*Testudo Mydas.*

**TESTUDO** *pedibus pinniformibus, unguibus palmarum binis, plantarum solitariis, testa ovata.* Maria hæc, carnem viridescentem esculentam habet.

**TESTUDO Lutaria, palustris.** Germ. Wasser-Schildkrott. Gallis Tortue d'eau douce. Anglis Water Tor Toise.

Etiam esculenta.

**TESTUDO Terrestris.** Germ. Erd-schildkrott. Gallis Tortue de terre. Anglis Common-land Tortoise.

Optima censetur, validi tamen, & boni nutrimenti.

Phthisicos plures fuscatis ex testudinum & ranae carnibus confectis, servavit cl. BIANCHI discors, se il vitto Pythagorico.



VIPERA. *Amphibiologorum* COLUBER. Claf-  
sis Naturalis Amphibiorum. Ordo Serpentum.  
*Anglis* Viper.

COLUBER *Vipera*: Caro anguillæ carni par, ma-  
gis salubris, raro tamen, & non nisi in scopum medicum  
adhibita. Alia vide de venenis.

---

### P I S C E S.

A quei elementi incolæ, vestiti squamis, bronchiis re-  
spirantes, pinnis natantes, palpebris, auribus,  
collo, artibus, destituti cognoscuntur.

### A P O D E S.

ANGUILLA *Ichthyologorum* MURÆNA.  
Classis Naturalis Piscium, Ordo Apodum.

MURÆNA *Anguilla*. Germ. Aal. Gallis Anguille.  
Muræna unicolor, maxilla interiore longiore.

D eses, & ob id pinguis, multum alit sapida anguilla,  
sed difficile digeritur delicatulis, sedentariis.

Officinis laudata bilis anguillæ.

### J U G U L A R E S.

ASELLUS. *Ichthyologorum* GADUS. Classis  
Naturalis Piscium. Ordo Jugularium.

Gadus *Morrhua*. Germ. Stockfisch. Gallis Morue.  
*Anglis* Morhuan.

G ADUS dorso tripterygio, ore cirrato, cauda subœ-  
quali, radio ani primo spinoso. Recens multi est  
ali-



alimenti, salitus, siccatus, difficilis digestionis, & pauci.

DRACO marinus. *Ichthyologorum TRACHI-*  
*NUS. Classis Naturalis Piscium. Ordo Ju-*  
*gularium.*

Trachinus *Draco*. De la vive *Gallis*. Pietermann  
*Belgis.*

TRACHINUS *Belgis*, & *Gallis* in usu, carnem  
albam sapidam habet, GRONOVIVS *Acta Upsal* 1742.  
Multum nutrit, facilis etiam digestionis. Radios spi-  
nosos in dorso habet pungentes venenatissimos, quibus  
se contra piscatores defendat, post mortem æque ve-  
nenati perhibentur.

MERLANGUS. *Ichthyologorum GADUS.*  
Classis Naturalis Piscium. Ordo Jugularium.

*Gadus Merlangus*. *Gallis Merlan*. *Anglis Whiting*.

GADUS dorso tripterygio, ore imberbi, maxilla  
superiore longiore. Sapidus facile in stomacho solvi-  
tur, & in membra digeritur.

MUSTELA fluviatilis. *Ichthyologorum GA-*  
*DUS. Classis Naturalis Piscium. Ordo Jugu-*  
*larium.*

*Gadus lota Germ.* Aal-Rutte.

GADUS dipterygius, cirratus, maxillis aequali-  
bus. Laxa caro facile deliquescens, probe nutrit.

Crauz M.M. T.I.

F

SILU-



SILURUS. *Ichthyologorum* GADUS. Classis Naturalis Piscium. Ordo Jugularium.

Gadus *Mediterraneus*. Germ. Schelden. Anglis The Shoat - Fisch.

GADUS *monopterygius*, *cirris maxillæ superiores duobus, inferiore uno*. Caro utilis boni alimenti, iussoni succedit.

### THORACICI.

AMIA. *Ichthyologorum* SCOMBER. Classis Naturalis Piscium, Ordo Thoracicorum.

Scomber *Amia*. Gallis Labise.

SCOMBER *dorso dypterygio, officulo ultimo, pinnae dorsalis secundæ, prælongo*. Tenera, pinguis, sapida caro, boni est succi.

COTTUS *Ichthyologorum*. Classis Naturalis Piscium. Ordo Thoracicorum.

Cottus *Gobio*. Koppe Germ.

COTTUS *laevis, capite spinis duabus*. Parum carnis, non ingratæ tamen habet.

LUCIO PERCA. *Ichthyologorum* PERCA. Classis Naturalis Piscium. Ordo Thoracicorum.

Perca *Lucio perca*. Germ. Schill.

PERCA *pallide maculosa, duobus dentibus maxilaribus utrinque maioribus*. Sapidus piscis. His adi perca Zingl, & aliæ usitatæ possunt.

MUL.



MULLUS *Ichthyologorum*. Classis Naturalis Piscium. Ordo Thoracicorum.

*Mullus barbatus*. *Gallis Barbeau*.

MULLUS *cirris geminis, corpore rubro*. Hoc nihil sapidius jam Romanis inventum, nobis adhuc in mensis laudatur piscis, boni succi, mediocreis nutrimenti, facilis digestionis. Ova mensis amovenda, haud salubria **GESNER**.

PERCA *Ichthyologorum*. Classis Naturalis Piscium. Ordo Thoracicorum.

*Perca fluviatilis*. *Germ. Perschling*. *Gallis Perche*. *Anglis Pearch*.

PERCA *lineis utrinque sex nigris, pinnis ventribus rubris*; cibo salutaris cum petrofelino L. mediæ ætatis perca jam olim in mensarum deliciis fuit, multum alit, boni succi, facilis digestionis.

RHOMBUS. *Ichthyologorum* PLEURONACTES. Classis Naturalis Piscium. Ordo Thoracicorum.

*Pleuronactes Rhombus*. *Gallis Turbot*.

PLEURONACTES *oculis sinistris, corpore glabro*. De hujus piscis bonitate iam **DOMITIANI** tempore consultum. Sapidissimus est, facilis digestionis, boni nutrimenti.

SCOMBER *Ichthyologorum*. Classis Naturalis Piscium. Ordo Thoracicorum.

*Scomber Stombrus*. *Gallis Maquereau*.

**S COMBER** *pinnulis V.* Mensarum in Gallis deliciae, difficilis digestionis, nec nimium laudabilis succi.

**S O L E A.** *Ichthyologorum PLEURONACTES.* Classis Naturalis Piscium, Ordo Thoracicorum.

Pleuronactes *Solea.* *Gallis Sole.*

**PLEURONACTES,** maxilla superiore longiore, corpore oblongo, squamis utrinque asperis. Exquisitus piscis, & salubris, carnei teneram, salubrein, parum viscosam tamen habet, facile digerendam & multum nutrientem. Non optimae soleæ marinæ recentes. Etiam ægris dantur, **HORSTIUS.**

**T H Y N N U S.** *Ichthyologorum SCOMBER.*

Classis Naturalis Piscium. Ordo Thoracicorum.

*Scomber Thynnus.* *Gallis Thon.*

**S COMBER** *pinnulis utrinque VIII.* In deliciis abdomen, sed indigestum. Caro multum alit robustos.

Ex hac familia adhuc plurimi, plurimum in usu: Pleuronactes, Platea, Flesus, Limanda, Linguatula, Passer, qui omnes plurimum nutriunt, & boni sunt succi.

### A B D O M I N A L E S.

**C LUPEA** *Ichthyologorum.* Classis Naturalis Piscium. Ordo Abdominalium.

*Clupea aloſa.* *Germ Elſen.* *Gallis Aloſe.* *Anglis Shad.*

**C LUPEA** apice maxillæ superioris bifido, lateribus maculatis. Delicatissimus piscis, in aquis dulcibus



cibus captus; recens non diu servatur, alias enim alcali sapit, facilis est digestionis, & boni succi.

**CLUPEA Halex**, seu *Halengus*. Haring *Germ.*  
*Harang Gallis.*

**CLUPEA maxilla inferiore longiore, maculis nigris carens.** Recens, non salitus, sapidus, delicatus, facilis digestionis. Salitus difficilioris, difficillimæ fumo induratus, exsuccus. Muriam halecis in clysinata datam in iliaca passione valere. *Acad. N. C. Vol. IX.*

**CLUPEA Encrasiculus.** *Germ.* Sardellen. *Gallis*  
Anchois. *Anglis* Anchovy.

**CLUPEA maxilla superiore longiore.** Recens optima, sapidissima, tum abscisso capite exenterata, condita sale, aliorum piscium condimentum, multum excitandi appetitus causa adhibita.

**COBITIS Ichthyologorum.** Clavis Naturalis  
Piscium. Ordo Abdominalium.

Cobitis *Barbatula*. *Germ.* Grundl. *Gallis* Goujon.

**COBITIS Cirris oris 6, capite inermi, compresso.** Mediocriter alit sapidus, facilis digestionis piscis.

Cobitis *Taenia*. *Germ.* Steinbeisl.

**COBITIS Cirris oris 6, aculeo infra oculos bifurco.** Priori inferior.

Cobitis *fossilis*. Nobis Pisgurn.

**COBITIS Cirris oris 8, aculeo supra oculos bifurco.** Carnis subfuscæ, paucæ, multus in Hungaria usus, nec adeo utilis, nec gustu jucundus.

**CYPRINUS** *Ichthyologorum.* Classis Natur.  
Piscium. Ordo Abdominalium.

*Cyprinus Carpio.* Germ. Karpf.

**CYPRINUS** *Cirris 4, officulo tertio pinnarum dor-  
si, axique, uncinulis armato.* In stagnis, lacubus,  
piscinis, multa hujus piscis educatio: Cypriorum rex,  
Danubii incola, ætatem consecutus, inter diversas ejus  
species optimus. Cæterum in hac familia mares, quod  
compactiorem carnem habeant, præferuntur. Facilis  
digestionis, mediocreis nutriuntur.

*Cyprinus Brama.* Germ. Gareifel. Gallis Braime.

**CYPRINUS** *pinnis omnibus fuscis, pinna axi ra-  
diis 27.* Alibi lacuum, apud nos Danubii civis, 7. 8. 9.  
librarum ponderis delicatus piscis.

*Cyprinus Tinca.* Germ. Schlein. Gallis Tanche.  
Anglis Tensch.

**CYPRINUS** *axi radiis 11. cauda integra, corpo-  
re mucoso.* Vulgi solatum Tinca, satis sapida medio-  
criter alit; bona ex hac iuscula fiunt, externe icteri  
magnes dicitur, umbilico applicata, confirmante LIN-  
NÆO. Gluten hic piscis habet, ichthyocollæ non in-  
ferius BRADLEY a Course upon the Materia Medica.  
Consumptioni obnoxiiis, exulceratis prodest, IDEM.

*Cyprinus Aspius.* Germ. Schied.

**CYPRINUS** *pinna axi radiis 15. 16. maxilla in-  
feriore longiore incurva.*

*Cyprinus Cultratus.*

**CYPRINUS** *pinna axi radiis 30. maxilla inferiore  
longiore incurva, prioribus inferiores. His ex eodem  
ge-*

genere nobis usitati plurimi addi possunt: *Aphia*, *Rutilus*, *Erythrophthalmus*, *Alburnus*, *Vimba*.

**LUCIUS** *Ichthyologorum* *Esox*. *Classis Naturalis* Piscium. *Ordo Abdominalium.*

*Esox Lucius*. *Germ.* Hecht. *Gallis Brochet*. *Anglis Pike.*

**ESOX rostro depresso, subæquali.** Rivorum optimus, carnis foliaceæ, sapidæ, facilis digestionis, inediocris alimenti.

**MUGIL** *Ichthyologorum*. *Classis Naturalis* Piscium. *Ordo Abdominalium.*

**MUGIL Cephalus**. *Gallis Muga*. *Muellet Anglis.*

Etiam edulis, magis tamen adhibentur ova, quæ sa-  
le condiuntur: *ferculum Botarſo* Itali dicunt.

**SALMO** *Ichthyologorum*. *Classis Naturalis* Piscium. *Ordo Abdominalium.*

*Salmo Salar*. *Germ.* Salm. Lax. *Gallis Saumon*.  
*Anglis Salmon.*

**SALMO rostro ultra inferiorem maxillam promi-**  
**nente.** Sapidus, subpinguis brevi satians, delicatus  
tamen non salitus, sed valens & multum nutriens.

*Salmo Germ.* Heuch.

**SALMO dorso brunneo, maculis nigris lateralibus,**  
*ventreque albis.* Laudabilis est.

*Salmo Trutta*. *Germ.* Laxforel.

**SALMO ocellis nigris, iridibus brunneis, pinna**  
*pectorali punctis 6.* Exquisitus piscis.



*Salmo Fario. Germ. Forell. Gallis Truitte.*

**SALMO** *maxilla inferiore sublongiore, maculis rubris.* Carne firma compacta, æstate optimus, facilis digestionis, boni alimenti.

*Salmo Salvelinus.*

**SALMO** *maxilla superiore longiore.* Grata sapiditate cum Salmone Trutta, Thymallo, ad minimum certat, si non superet, caro granulata, butyracea, facilis digestionis, optimi nutrimenti.

*Salmo albula. Germ. Reinankl.*

**SALMO** *maxillis edentulatis, inferiore longiore.* Inter congeneres insimus fere, apud nos solum habetur fimo induratus, exsuccus, non adeo sapidus.

*Salmo Thymallus Germ. Asch. Gallis Ombre.*

**SALMO** *maxilla superiore longiore, pinna dorsi radiis 23.* Caro deliciosa facilis digestionis, boni succi, ut etiam ægris concedatur.

Aliæ adhuc species aliis regionibus sapidæ, & edules.

### INSECTA.

**ANIMALCULA** polypoda, poris lateralibus respirantia, cute ossea, cataphracta, antennis mobilibus, sensoriis, capitis L.

**CANCER Entomologorum.** Classis Naturalis Infectorum. Ordo apterorum,

*Cancer Pagurus. Germ. Meerkrebs. Gallis Cancre de mer, crabe. Anglis Crabbe.*

**CANCER brachiurus, thorace utrinque obtuse novemplicato, manibus apice atris.** Difficilis duraque caro



ro aromatisari multum, & multum coqui pro ventriculo debet. Ex hoc officinæ chelas habent.

CANCER *astacus*. Germ. Wasser-Krebs. Gallis  
Ecrevisse de riviere. Anglis Crayfisch.

CANCER *macrourus*, *thorace lœvi*, *rostro lateribus dentato*, *basi utrinque dente uno*. Delicatissimus lacte nutritus. Notari meretur frequentiorem huius usum sanguinem dissolvere, sæpe hæmoptoēn facere et phtisim inducere.

---

VERMES.  
MOLLUSCA.

Tardigrada, mollia, pudentia, vivacissima, redintegrandata, humidii animantia, acephala, apoda, androgyna tentaculis dignoscenda.

LIMAX *Systematis Natur. Classis Naturalis Vermium. Ordo Molluscorum.*

*Limax maximus*. Germ. Schneck. Gallis Escargot. Anglis Snail.

LIMAX *cinereus maculatus*. Antiphthisicum incarnans eorum iuscum multis habetur. Est tamen maxima in his cautela opus. Vide *Illustr. L. B. van SWIETEN. Comment. T. I.*

SEPIA *Systematis Natur. Classis Natur. Vermium. Ordo Molluscorum. Anglis Skuttle-Fisch.*

SEPIA *ottopoda*. *Corpo caudato, tentaculis nullis.* Rubentem ex suo condimento, quod coctione cum nitro in rubrum vertitur, apponi in cibo debere LINNAEUS. Carnem duram, coriaceam, haud exquisiti

F 5 gustus



gustus habet, nutrit tamen multum, visceribus fortibus probe subacta, alvum adstringit, HIPPOCRATES.

Sepia *officinalis*; os sepiæ, & atramentum, quod etiam aliæ largiuntur, concedit; in osse sepiæ, subadstringens vis prædicatur.

### VERMES TESTACEA.

**MYTILUS** *Systematis Natur.* Classis Naturalis  
Vermium. Ordo Testaceorum.

*Mytilus edulis.* Germ. Muschel. Gallis Moule.

**MYTILUS** *testa læviuscula violacea, valvulis obliquis postice acuminatis.* Marina optima, sapida, vix multum nutriens, difficilius digerenda. EPHEMERIDUM N. C. Vol. VII. morbos contrahere mytilos mortalibus edentibus periculosos. Factum exemplis confirmatum est *ibidem*, ut magistratum vigilantia pro salute civium interpellatur.

**OSTREA** *Systematis Natur.* Classis Naturalis  
Vermium. Ordo Testaceorum.

*Ostrea edulis.* Germ. Austern. Gallis Huitre. Anglis Oyster.

**OSTREA** *testa semiorbiculata, valva altera plana, altera elatiore.* Multorum deliciæ, differentiam magnam patiuntur; virides optimæ, in ventriculo facile deliquescent, biliosis, quos parum nutriend, convenientes, recommandantur etiam a medicis scorbuto, podagra laborantibus: ad ignem induratæ stomacho inimicæ, crudis deteriores GODFREY *Treasure of useful Discoveries.* Ostrocoderinata egregie absorbentia sunt.

ANIMA-



A N I M A L I U M  
P R O D U C T A.

**L**AC universalem, seu in alimentis, seu in medicamentis usum ab omni tempore habuit.

*Lacte mero veteres usi memorantur, & herbis,  
Sponte sua si quas terra ferebat.*

ait OVID. L. 4. Fastor.

Lacte solo alimento vixisse plures, passim hinc inde PLINIUS, TACITUS, IUSTINUS, CÆSAR, memorant: GALENUS l. 5. de Sanit. tuenda Cap. 7, exemplum excitat hominis centum consecuti annos, & lacte maxime viventis; & hodie ad septentrionem multi sunt, quibus lac, & lactis producta, butyrum & caseus omnia sunt. Recte igitur VARRO omnium alimentorum lac voluit esse nutrientissimum: est enim lac ex ingestis jam elaboratus, & excoctus humor, non per modum putrefactionis, seu puris, veluti placuit EMPEDOCLE apud ARISTOTELEM, sed per modum perfectionis, utpote quæ substantia optima sit constituendo nostro corpori, cum sit consociabilis omni naturæ.

Nec infima sane haec lactis laus est, quod omnes neo-nati tam hominum, quam fere animalium, lacte nutriantur, crescant, & quod omnis ita dicendo homo, omne animal, proprio lacte vivat, & nutriatur, & ex eo solo omnia reliqua solida, & fluida vi vitæ

per-



perficiat: est enim in viris æque, ac fœminis omnium animalium semper præsens lac, licet nunquam pepererint, nunquam nutrices fuerint; sic ex sexagenario sene, sola suctione lac eductum narratur in *Miscell. Natur. Curios. Decad. II. Anni Vti.* in Appendix; ex aliis alii.

Ex his vero, quæ hactenus de lacte dicta sunt, intelligitur facile, lac esse, & ex assumtis, & ex admixtis humoribus animalibus, præparatum liquidum, hinc primo mediæ esse naturæ inter vegetable & animale in animalibus, quæ gramine, & vegetabilibus aliis vescuntur. Secundo pro vi & differentia assumtorum lac diversum esse, ex illis enim chylus melior, vel deterior, dulcis, vel amarus, mitis, vel acer fit, ex hoc tale lac; qualia enim ingesta, talis chylus, qualis chylus, tale lac, & sanguis, assertum quotidiana obfirmat experientia: mensis Maji lac, ut & butyrum omnium optima sunt, quia hoc tempore vaccæ coinedunt nascentes & novas quasi herbas, quæ illas magis quam exsuccum gramen reficiunt; notaverat iam **GALENUS** caprarum lac purgare, quia hæ scammoneo, & tithymalis vescerentur, neque hodie id novum est, infantulos purgari dato medicamento soli nutrici. Tertiam differentiam lac recipit, prout ex eodem animali vario tempore emulgetur, prout animal ipsum, quod hoc conficit, temperatus, & valentius est, tum ex multis aliis circumstantiis alias differentias patitur.

Non solum ipsum lac, ut iam ante dixi, sed etiam ejus partes a se invicem separatae, & in usum alimentarem, & in medicum veniunt. Notum enim est lac tribus componi, parte butyrosa, caseosa, & serosa, hæc que tria plus minus in omni lacte sano obtinent: Bu-

ty-



tyrum ex lactis cremore, seu parte ejus pingui, & oleosa fit, caseus coagulum lactis est, ablato butyro, & sero; serum aqua lactis. Qua mechanice hæ partes a se invicem separentur, lac cogatur, ita elaboretur, hic loci dicere non attinet, cum hæc omnibus notissima sint; hoc tantum hic volo eximium lactis, & ejus productorum, tum in alimentis tum in medicina usum esse, de quo ultimo iam latius agemus.

Ab omni tempore pro usu medico hi gradus bonitatum lactis diversorum animalium observati sunt, ita, ut primum semper haberetur lac humanum, huic succederet asinum, post caprinum, dein vaccinum. Atque tum semper, ubi interitura præ debilitate corpora, yellent reficere & refocillare, pro primo hoc scopo omnium optimum invenere lac humanum, utpote naturæ nostræ maxime analogum, & omni lacti aliorum animalium, si haberi potest, præferendum.

Debet vero lac illud esse fœminæ sanæ, quæ salubri motu corpus exercet, & victu laudabili utitur, & integro ætatis flore viget: omnium optimum, si 4 vel 5 post pastum horis ducatur, tunc enim chylus in lac totus iam mutatus est, & alimentorum indole deposita incipit humanum induere naturam: ingens est enim differentia, prout lac vario post ultimum pastum tempore dicitur: quod statim post ingestos cibos, & potus in mammis colligitur, crudum est, & multum de ingestorum indole retinet: quod duodecim ab ultimo pastu horis evocatur, tenue, subflavescens, fœtorem suburinosum fere, instar seri sanguinis habet, atque hæc ratio est, cur primum lac nutricum semper purgans sit, quia serosum fit, diu in mammis hærenat: unde patet intermedio hinc tempore lac optimum esse cæteris paribus.

Alte-



Alterum vero, & id observandum est, lac ipsum ex uberibus duci debere, aut vasis receptum illico occludi; videntur enim lacti inesse subtilissimi spiritus, ultima concoctione in fano corpore elaborati; docent hoc tot nervi concurrentes ad chyli, & lactis officinas, subtilissimus exhalans ex lacte recens mulcto, & adhuc calido, ros: quod jam antiquitas perspexit, cum moneat **GALENUS**: „Veteres vero etiam mulierem lactantem illis, qui tabe decumbebant, adstare voluerunt, quorum sententiæ & ipse quoque accedo, & „quod familiare id sit, & quod, priusquam ab ambiente aere refrigeretur, id sumi voluerint;„ & alibi, posteaquam similia præfatus fuerat, lac comparat semi genitali, quod nec ipsum aliquamdiu extra propria vasa, si modo suam virtutem servabit, morari potest, sed vel in maris partibus contineri, vel fœminæ partes tangere debet: & sane efficacissimum lac est ex ipsis mammis aere non refrigeratum, haustum. Hujus consilii gnarus **CAPIVACCUS** nobilissimæ gentis unum heredem servavit, dum inter binas florentis ætatis decubentem nutrices, ubera illarum ducere jussit: plura de hac felici methodo nobis conservarunt exempla authores varii; Viennensibus illud *Illustr. L. B. van SWIETEN* in Regia Stirpe summa cum laude confectum ob oculos est, aliis illud quod in *T. I. l. IV. observationum FORESTI* habetur, atque id præter alia hic recenseri meretur. Juvenis marasino vero corruptus Bononiæ, juvenculæ nutricis pulcherrimæ ubera ducebat, & in eodem cum illa lecto dormiebat, unde sic instauratum exsuccum corpus fuit, ut metuerent ne intempestiva venere perderet renascentes ex lactis usu vires.

Secun-



Secundo: adhibent hodie lac, per medicamenta medicatum redditum in nutricum corpore Parisienses, etiam, ut dirissimam luem tollant: notum enim est iam tenellum foetum culpam turpis matris saepe luere, & in utero materno luem venereum contrahere; talis infans dum purae, & sanæ nutricis ubera dicit, illi luem communicat ortis latis circa maimmas ulceribus & veneno per totum corpus suscepit; ob hanc rationem sanam etiam nutricem mercurialibus imprægnant, ut communicata lacti mercurii vi, misellus servetur; quum vero raræ ex sint, quæ sibi sanis, tale in corpore experimentum fieri velint, etiam res ad animalia translatæ est, & tale exemplum novi felicis successus; sic etiam alii animalia plantis antiscorbuticis nutriunt, ut saevo scorbuto laborantes lacte antiscorbutico curent.

Extra corpus lac vario modo medicatum fit; hoc modo catharticum lac delicatus paratum exhibetur, lactis cocti libræ quatuor sumuntur, additur libra semis sacchari, parumper coquuntur, tum totum de die hauritur, multas dejectiones movet.

Ex uberibus supra ramum unum alterumve plantæ alicuius aromaticæ recentis lac etiam emulgeri solet & medicatum reddi; sic supra Menthæ mulctum continuos ab assumpto veneno, & vomitorio excusso, vomendi conatus sustulit; & mictui cruento specifice medebatur supra ramum Menthæ rubræ mulctum, & syrupo Cydoniorum satis edulcoratum, calensque quotidie haustum, & spes est supra salicis grati odoris fungum, qui in phthisi vix non conclamata curanda drachmæ semis, unius dosi, ex ovo forbili haustus, aut cum saccharo mixtus, tantopere deprædicatur, emulctum lac calensque haustum in eodem morbo multum profuturum.

Ter-



Tertio: celeberrima in arte medendi est diæta illa laetitia, quæ in variis morbis, ut passione hysterica, tumido abdomen, emaciatis artibus, venere exhaustis, rheumatismo, podagra rebelli, ut id variis locis testatur SYDENHAMUS, & alii egregii viri, summi usus est: atque tunc præmisso leni purgante, si opus, nihil nisi lac assumitur; ex überibus tepidum optimum est. A minori dosi in initio incipiendum est, & videntur an ventriculus ferat; Ubi fert, libra una mane, dimidia a meridie dari potest, tum etiam loco alimenti, & medicamenti vario modo præparatum exhiberi; si lacte solo vivere ægrum conveniens non videatur medico, etiam juscula ex carnibus gallinarum contusis cum aliis herbis coctis, illi permittere potest, hoc observando, ut ab omnibus acidis abstineat, cerevisia, vino, & loco huius potus, decocto hordei, scorzonerae, additis leviter aromaticis, aniso stellato, æger utatur. Secundo, ut lactis coagulum in ventriculo certo certius nocitum impediatur addito sacchari, sic V. G. ad libram unam lactis additur uncia una, vel etiam omni vesperi datur blandum absorbens. Tertio: ut si lac alvum fluidam nimis reddat, roborante medicamento non acido fistatur; si nimis adstrictam, interposito purgante ex rheo laxetur, aut si nimia ventriculi debilitas usum lactis non ferat, lac virtute roborante florum rosarum rubrarum siccatarum, balaustiorum, Cinnamomi imprægnetur, M E A D. in monit. præst. & in hanc rem aliquot cochlearia fortis infusionis menthae aut etiam ex extracto aquoso chinæ & mastiche confecta pilulae faciant, lactis enim corruptelam & daimna præcavent TYSSOR de manufuprat. notandum tamen, licet diversi casus probent, in morbis supra memoratis lactis egregium fuisse usum, in iisdem etiam saepius nihil præstissime certum. Unde prudenter notavit

FON-



FONSECA in morbis a causa calida biliosa prodesse, a frigida minus. Exactius Cl. BROWNE LANGRISH *The Modern Theory and practice of physio.* London. 1738. si a pulmonum tuberculis febris hectica sit, inutilem lactis asinjni usum esse, cui fere omnes alii adstipulantur lac ebutyratum tum magis recomendarantes, quod calorem hecticum temperet.

Quarto demum etiam lac in aquis medicatis exhibetur, ut etiam in hordei aqua diluitur, quod *lait coupé* vocant Galli, quod in labe purulenta viscerum, in spasmodicis affectibus, convulsionibus, miro sæpe effectus præstat; dum neimpe aquis felteranis varia dosi lac admiscetur, sic quandoque libræ uni aquarum felteranarum libra semis lactis; quandoque duæ partes lactis cum una aquarum variis etiam aliis dosibus, & proportione varia, miscentur, pro variis circumstantiis, & ægri temperamento, de quibus legi potest de *connubio lattis cum aquis medicatis* Cel. HOFFMANNUS. In horum autem usu id, quod in lactis usu, cendum: tum etiam id tenendum, lac tepens vel calefactum his aquis semper addi, aquasque aliquantulum esse calidas debere, licet tamen & frigidas aliqui assumant.

Cæterum in variis adhuc aliis casibus magnus lactis usus est, tam interna exhibitione quam externa applicatione; sic dum venenum assumptum est, lac maxima copia sæpe exhibetur scopo diluente, & demulcente: Cantharidum veneno vasa urinalia certo affidente plerumque medetur: tum etiam in clysmatibus per se, vel aliis gravidum, cum fructu injicitur; externo usu emolliente, & mollissimo adhibetur, sic cataplasinata ex sapone veneto in lacte soluto ad lateris dolorem bono cum successu applicantur: fiunt etiam ex lacte balnea.

Cranz. M. M. T. I.

G

Fo-



Fomentis ex lacte saccharato femora variolis infectorum  
fovere in Suecia receptum, & observatum, femora  
pustulis quasi afflata evadere, dum aliæ corporis partes  
minori variolarum multitudine afficerentur. LINNÆUS  
*Amœnit. Acad. Vol. V. exanth. viva.*

Hæc de lactis ipsius virtutibus, jam de vi medicata  
singulorum illorum productorum, quæ lac largitur, ali-  
quid dicendum: primo enim lac dat *cremorem*, seu flo-  
rein lactis, præstantissimam nempe lactis partem, pin-  
guinem ejus, ex qua *butyrum*, quod nihil aliud quam  
cremoris, seu floris coagulatio seu coactio in pingueum,  
& ductilem albam substantiam: butyrum enim ex pin-  
guissima tremoris parte fit: tum est lac defloratum:  
lac secundarium, deflorati serum; lac *e butyratum*, *se-  
rosum*, idem *acidum*, lac *schistosum*, nempe ejus pars  
caseosa a sero separata, ex qua caseus; tum demum la-  
ctis serum.

Quem usum diversæ hæc partes in usu communi  
habeant, ut & in pharmacia, medicina, chirurgia,  
omnibus notum est; tremor enim, & butyrum bal-  
samorum vim habent, & oleis blandis comparari pos-  
sunt, unde etiam iisdem usibus adhiberi. Tremor re-  
cens lactis cum vitello ovi & syrupo violarum mixti  
aliqua aquæ stillatitez rosarum copia dilutus inflam-  
matis gingivis prodest, van SWIETEN.

Graminis autem digesti & elaborati succus, *serum*,  
omnium fere lactis partium, maximum in medicina  
usum habet, est enim substantia delibatissima lactis, a  
rudiori, cassiori, caseosa, ut & omni pingui crassio-  
ri separata. Unde patet tum demum ab hoc maximas  
esse exspectandas vires, dum recenti gramine, & pro-  
pullulantibus aliis herbis, late in pratis animalia pas-  
cun-

cuntur, minores longe, dum in stabulis inclusa exsuccum gramen manducant; unde etiam ineunte, & adulto iam vere maior huius, quam in hyeme usus, licet tamen omni tempore sit non exiguuus.

Coagulandi lactis, & parandi seri, sunt variae apud variis methodis; sic Florentinis floribus cynaræ lac coagulatur, qua ratione, & præstantiore in caseum fieri asserunt, nec nullo alio coagulo quam floribus cynaræ utuntur: coagulant etiam lac alii galio flore aut albo aut flavo prædicto, quod tum vel maxime faciendum ubi lactis serum acidum non postulatur; cæterum extemporaneo experimento alii, colostro vitulino, acido quocunque vegetabili, succo citri, cremore tartari, vino Rhenano, succo acetosæ, & acetosellæ, tamarindis, serum lactis parant; in officinis id quandoque negligentius fit, & acido fossili cogitur, quod forte non adeo probandum: debet vero lac prius calefieri, tum demum acidum addi, sic V. G. lactis vaccini recentis mensura una cum dimidia igni admovetur lessissimo, ut ebulliat, tum additur succi citri cochlear haud exiguum, iterum ebulliant, donec coaguletur, quo facto percolatur; si acidum nimis fuerit, una ciceriter oculorum cancerorum drachma ad temperandam aciditatem sub levi agitatione adiicitur: si non satis clarum, sub finem coctionis albumen ovorum additur; si palato gratum, ventriculo amicum, magis expetatur, elæosaccharum citri, aurantiorum &c. additur.

Serum hoc dat pulcherrimum in morbis acutis inflammatoriis refrigerans, diluens, resolvens, in morbis melancholicis, hypochondriacis, incoctis ad libras aliis herbis fundentibus, cichoreo, taraxaco &c. tum etiam biliosis, cum tamarindis optimum medamentum: exhibetur vel solum vel cum aliis, calidum,

G 2 fri-



frigidum, varia nec facile limitanda dosi, pro potu ordinario, medicamentofo.

Paratur adhuc aliud *serum lactis*, quod *artificiosum* vocant, aut *serum lactis dulce*, id vero hac ratione fit; sumitur lac recens, sub continua agitatione ad leniorem ignem, ne aduratur, ad pulveris fere consistentiam coquitur, tum demum affusa aqua totum ebullire curant, ut dissolvatur iterum in hac aqua, quo caseosa portio remaneat; dein percolatur, & exhibetur; laudatur vel maxime in omni acrimonia.

SERUM LACTIS VINO SUM paratur, dum lactis libræ aliquot cum vini albi acidi unciis IV. ebulliunt, ut separato colostro purum obtineatur serum. Valet in morbis continuis putridis affatim haustum, & in febri castrensi verinosa vinum imprimis vero serum lactis vinosum larga copia potatum, profusse novit van SWIETEN *Comment.* T. IV.

*Saccharum lactis*, quod ex sero lactis aliquoties ceto, ut omnis pars caseosa eo melius a sero separetur, fit, dum nempe serum saepius inspissatum, & aqua dilutum in crystallos coactum fuit; nihil aliud est, quam extractum inspissatum sero sal essentiale lactis ab ipso sero ratione principiorum multum diversum; optimæ fiunt ex sero lactis cum vitello ovorum, non acido, parato.

OVA alimentum non extemporaneum præbent, ob id multum a lactis usu deficiunt; albuminis liquor antequam nutriat pullum, eitis vasorum & viscerum actionem experiri debet. Lac vero iam habet humores subtilissimos animali fabrica separatos, & præparatos: sunt tamen etiam pulcherrimi nutrimenti & resistentis ova, quod albumen ovi sero sanguinis humani plu-



pluribus dotibus conveniat, & in se habeat materiem, quæ calore incubatus mutata, intra viginti, & unum dies, in sacculo colliquamenti latens vitale stamen pulli in tantam molem fecit excrescere; nec tamen quis credere debet ex vitello aliquid pullo accessisse; ille enim notante post ARISTOTELEM HARVÆO intra pulli abdomen conclusus, intactus manet; & hoc solum pro nutrimento utitur, dum exclusus est, donec firmato rostro durioribus vesci possit.

Ex hoc solo in tenellis pullis observato naturæ ordine, clare discimus, vitello facilius in nutrimentum converti, & optimum esse alimentum albumen: vitellum quidem optimum nutrimentum dare, sed iam firmiores viscerum fabricam postulare, quæ quoniam tamen in nobis iam adultis valida sit, patet hæc non tantam ratione nostri differentiam pati. Dixit HIPPOCRATES: „Volucrum ova *validum* quid, & *nutriendi*, & inflans habent, validum quidem, quia animalis generatio est; *nutriendi*, quia lac est pulli; *inflans*, quia ex parva mole in multum diffunduntur.” Ex his rationibus est, quare ad nutriendos debiles homines ab omni tempore ova recommendarint medici, & quare in quibusdam regionibus, ut in Gallia, Italia, in quadragesima ovorum esum inhibeant, quia tantum reficiunt.

Celebratissima apud nos sunt Gallinarum ova: Afri strutio-cañeli ova, crocodillorum ova alii manducant, quæ id inconveniens habere dicuntur, quod odorem moschi adeo fortem, qui caput tentet, habeant; tum, & testudinum maris ovis vescuntur Angli, Galli, & alii Europæi: alii aliis.

Ova vero omnia quæ in scopum nutrientem adhibentur, debent esse recentia, sordida, id est, per coctionem non nihil inspissata, ita ut in cortice suo videantur tremere; sunt enim sic multi nutrimenti, probæ, & facilis digestionis, convalescentibus, senibus, debilibus apprimis convenientia; indurata in testa, aut etiam in pingui frixa, etsi robustioribus visceribus non noceant, debiliora tamen offendunt, moxissimo albumine in cornu mutato; unde optimè monuit **GALENUS**, eo plus nutrire ova, quo minus induruerint, hinc variis præparationibus in iusculis diluta, in hæc integre effracta, tremula sumuntur.

Hoc tamen ova habent, quod cito putrefeant: hinc & in febribus summa cum cautela præscribenda sunt, licet tamen in his exhibuerit **HIPPONATES** L. 3. *de morbis*; albumina enim aliquot aqua fontana conquaßata pro potu humectante, & refrigerante exhibuit.

Ovi omnes partes fatis raros, eosque varios in medicina usus habent:

*Albumen* ovorum ad varias decoctiones depurandas in officinis inférvit; iterum ex albumine ovi inspissato oleum myrrhæ per deliquium paratur, quæ alias acer-riinis etiam aliis menstruis resistit, & quæ hoc modo soluta præstantissimum dat medicamentum alio loco dicendum.

*Vitellus* olea, & resinas, aquæ miscibilia reddit, tum, & oleum ovorum, quod ex vitellis induratis coctione, sequente exsiccatione & pressione elicitor, largitur, in fissuris labiorum, papillæ mammarum, recom-



commendatum. Quinquaginta vitelli olei uncias quinque subministrant.

*Testæ* etiam in usu medico absorbenti non deteriores margaritis & aliis pretiosioribus. Dum calcinatae sunt, magis sunt bibulæ, sed simul etiam acriores. Præcipuum constituunt ingrediens lithontripcti illius Anglicani. In harum exhibitione id cavendum, ne in pollinem tenuissimum tritæ exhibeantur; alias enim cum aqueis concrecerent in glebas, & pondus in ventriculo facerent, & sic plus nocerent, quam prodeffent.

Ultimo demum, quæ fracta testa albuimen continet tenuis *pellicula*, & suum in arte medendi usum invenit, in vulneribus præcipue recentibus, a quibus, ne corrumperentur, arcendus aer erat; hoc incommodi habet, quod exsiccatur, & durior fiat, sed tunc aqua tepida, aut saliva aut halitu oris, emolliri potest. Specifica vero nulla in hac vis est: aerem a vulnere arcet, sic naturam iuvat, & ob hanc rationem de rara deligatione vulnerum tam pulchra scripsit MAGATI. Ceterum recens, humida pellicula glandi penis imposita, effluere non potentem urinam evocat, certo experimento.

MEL. Dicitur alibi.



G 4

POTUS.

## P O T U S.

**D**e his pauca dicere constitui, cum pleraque peculia-  
ribus tractatibus scripta habeantur.

AQUA sincera cursu exercita omnium optima.  
Vide *Antidota.*

CEREVISIA fermentata defœcata etiam multum  
nutrit: dulcior, sapidior, tabidis utilior: tenuior vim  
diureticam habet, liberatque a calculo, & abstergit bi-  
lein in primis viis collectam: amara hypochondriacis,  
atque scorbuticis conduit; nec enim acescit facile, ita-  
que nec male agunt, qui absynthium ei adiiciunt, quan-  
do fermentat, in gratiam febricitantium, vel scolopen-  
drium pro lienosis, & hepatis obſtructione laboranti-  
bus; vel rorem marinum, atque salviam adversus asthma,  
phthisim, & sic porro. AUG. QUIRINI RIVINI  
*Disput. VI. de Medicina in alimentis optima.*

VINUM ex uvis factum multam differentiam pa-  
titur; fit etiam ex melle hydromel, ex pomis poma-  
ceum, ex pyris pyraceum. Sunt adhuc plurimæ ex  
aliis vinorum species; vires alibi dicentur. Ex omni  
specie mustea affatim hausta dolores colicos & rheuma-  
ticos creant & arthritidis paroxysmum maturant, Cl.  
HUXHAM. *de morbo colico Damnoniorum.*

Perfictis itaque esculentis, & potulentis, horum  
principiis, dotibus, materiei imbecillitate aut validitate,  
omnino facile erit (cognitis naturæ, vel in fano, vel in  
agro viribus) ea subministrare, quæ magis convenient;  
nam etiam si acute decumbentes alimenta fere omnia  
respuant, solis nutriantur iuſculis, & fani nulla lege ad-  
ſtrin-



stringi debeant, est tamen, ut acuti morbi ex deciden-  
tia longiores facti, & humanam beatitudinem ardenter  
exoptantes fani diætam poscant; primum quidem per  
totam medicinam demonstratum est, alterum ex natu-  
ra temperamentorum etiam clare deducitur.

Igitur *sanguineo temperamento fermentata Cerealia*,  
facile digerenda Olera, carnes animalium iuniorum ma-  
gis convenient, cum aquoso potu, vini austeri non ca-  
lefacentis parco usu. Obsunt vero illi cruda glutinosa,  
mucilaginosa. spirituosa.

*Pituitosum* facile fert, & fermentata Cerealia, &  
bis coctum etiam aromatibus conditum panein, olera  
vel alcalina vel acida vel aromaticæ, animalium aliis  
animalibus viventium carnes, etiam sale conditas alias,  
& potus fermentatos cerevisiam, vina; quibus simul  
vis roborans insit, ut Burgundica, Italica, austera, Hi-  
spanica: convenient quoque spirituosa liquida; gluti-  
nosa omnia, mucilaginosa, pinguia, huic obsunt.

*Bilioso* diæta esse debet ex oleribus acescentibus, sa-  
ponaceis multa, carnis potissimum vero ferinæ, aut il-  
lorum, quæ aliis vivunt animalium parca, parca quo-  
que piscium. Potus aqua, cerevisia tenuis, tenuia pa-  
riter & acidula vina, ut sunt Rhenana, Moselana,  
Austriaca; non ferunt pinguia, nec spirituosos potus.

*Melancholico* concedes panem bene fermentatum,  
oleræ, & fructus saponacæos cocta, carnes juniorum ani-  
malium herbis pastorum. Potus aqua esse potest, cere-  
visia tenuis, vina aquosa. Obsunt legumina farinosa  
alia non fermentata, olera cito alcalescentia, liquores  
spirituosi, qui tamen parce quandoque concedendi. Et

hæc quidem ad temperamenta spectant, sed & sua æta-  
ti, & anni tempori, & Climati regula est.

*Infantibus* primam ex lacte diætam natura constituit,  
dein omnino mollem & nullo aromate vitiataam indica-  
vit; his non convenit potus fermentatus ullus, sed mol-  
lis, aqua, lac.

*Pubertas* lege caret.

*Virilis* ætas temperamentorum regimine servatur.

*Senectus* nova infantia est, igitur & huic lac, mol-  
lia omnia, panatellæ, decoctum fabaruim cacao in la-  
cte, Chiocolada, vintina parcum, his tenui, illis gene-  
rosum, aliis petulcum concedenda.

Anni temporibus ea potissimum convenient, quæ  
his natura offert; & *Veri* teneræ & iuvenes plantæ sa-  
ponacea solventes, carnes digestu faciles, vina tenuia.  
*Aestati* aquosorum saponaceorum acidulorum olerum,  
tum fructuum horætorum major usus, carnium minor:  
Potus convenient diliens acefrens, fermentatus quidem  
sed non multum spirituosus; vitanda aromata sunt &  
omnia calidiora. *Autumnus*, magis vero *Hyems* aro-  
matica & spirituosa postulant.

Climatibus fere eadem diæta est, quæ tamen tempe-  
ramento in hac æstate aut anni tempore constituto accom-  
modari debeat.



CLAS-

CLASSIS SECUNDA

# CARDIA CORUM NERVEORUM.

**Q**uae vires infundunt nervis roborantes, & spirituum vividiorem efficiunt motum, NERVEA recte dicuntur.

Indicantur, quando cognoscuntur vires deficere, simulque apparent evidentia signa languoris ad omnes motus musculares, etiam ubi valde impediuntur exercitia sensuum, imprimis vero, si tum simul cernuntur signa clara humorum crassorum per reliqua vasa. BOERHAAVE. L. B. VAN-SWIETEN.

## VIS ELECTRICA.

**S**uspendebat adhuc Physicorum omnium animos ignota Electri Vis, & timorem, quem terrible CUNED experimentum incussum, nondum MUSCHENBROECKIUS abiecerat, cum audax Iapeti genus in eo salutem confidenter quereret, in quo morte adinvenire facile potuisset; ita deum homines sumus! scilicet spes erat fore, ut vel electricus ignis illis in partibus calorem fuscitaturus esset, in quibus diu deficeret, vel validior commotio motum, qui jam dudum abesset; quapropter grave & audax auxilium in medicinam traducitur, eoque Paralysis diversis in regionibus tentatur.

Sa.



Sapienter vero factum est, quod inter primos 1746  
Parisiis in periculum paralyticos deduceret **NOLLET-**  
**TUS**, vir doctus, & horum experimentorum apprime-  
gnarus, qui, et si electrica commotione nullum curaret,  
quod curari amplius non possent, in eo tamen magni  
officium exegit viri, quod commotionis patefaceret  
periculum, & illos, qui huius operationis manipula-  
tionibus non ex asse imbuti essent, circumspectos esse  
iuberet. *Acad. des Sciences.* 1746. 1749.

Interea D. LOUIS Chirurgiæ Parisinæ decus, 'pa-  
ralysim scintillarum evocatione tentare intentus, mu-  
tato ex **NOLLETTI** exemplo, consilio, duas paraly-  
ticas commotione frustra vexavit: tandem, & com-  
motione haud sollicitandam curationem esse nervoso  
sermone reliquit, *Observat. sur l'electricité*, Paris 1747.  
Philosophiæ Genevæ Professor **Cl. IALLABERTUS**  
tam scintillarum evocatione, quam commotione para-  
lyticum restituit *Journal des Scavans* 1748, gelu vi-  
tiatam partem in eodem correxit *ibidem*, & tu-  
mores scrophulosos emendavit *propria ad Cl. SAU-*  
**VAGES epistola.** *Cl.* Monspeliensis Medicus **SAUVAGE**s hemiplegicum pulmone exuleeratum hoc remedii  
genere ex hæmiplegia restitui quidem, ex ulcere pul-  
monis vero rapi vidi: tum electricitate paralyticos me-  
lius habere, tumores oedematosos percurari, suppura-  
tionem accelerari *Lettre à Mr. BRUHIER*; ultimo  
compulsis experimentis Illustri Academiæ Upsaliensi  
Commentarium misit de usu electricitatis in rheuma-  
tismo novem successibus felicem, ut etiam in eo ul-  
timo concludat in aciendo visu nullum electricitati  
medicamentum anteponendum, & nemini electricita-  
tem nocere nisi phthisico, hinc terrorem a **NOLLET-**  
**TO**, aliorumque panicum habendum.

Hæc



Hæc in Galliis aguntur, dum in diversis Italiae partibus Cl. Viri PIVATI, BIANCHI, VERATTI plurimum & diversimode electricitate utuntur; & quidem Cl. PIVATI Venetiis electricitatem medicamentosam tantum ( scilicet inclusis ipsis tubis varii generis remediis ) adhibet, dum & simplici electro & medicamentofo VERATTI mederetur. Iamque malum ischiatricum pertinax, a scabie curata superstes brachii dolor, gravis in aure dextra auditus, rheumatici, & catharrales effectus tumoribus arthriticis stipati, involuntarium lacrymarum profluvium, nervorum debilitas, curantur: etiam in uno tentamine electricitatis medicamentosæ dolores arthritici profligantur. Fuit Augustæ - Taurinorum purgantis, dum electrizandorum manibus medicamenta purgantia inderet BIANCHI, electricitatis novæ auctor. Sed quantum est in plurimis experimentis inane! in Italiam iter suscepit NOLLETTUS, adit Cl. hos Italos, ut per hos, de veritate illorum, quæ de electricitate medicamentosa scripserant, convinceretur, & mirum visu! nullus facto rem comprobare potuit. *Histoire de l'Acad. des Sciences* 1749.

Pragæ paralyticos quatuor curatos, solatum rheumatismo dolorifice laborantem, etiam podagricos resolvi nodos vidi Cl. BOHADSCH in *Thesi de elec.* 1751. Lipsiæ Th. QUELMALZ hæmiplegiam cum aphonja electricitate fere sustulit, rheumatismum infene octagenario lenivit, chiragranum cum carpi tumore profligavit, & inter septem partim paralyticos, partim rheumaticos sex curavit Cl. SCHEFFER Ratisbonæ; & mirabiles electricitatis in aphonia, in resoluzione labii inferioris oris a tonsillarum tumore, effectus vidi PAULSON in Livonia; & alios in Suecia

STROE-



STROEMERUS etiam non Medicus: & malum hystericum convulsivum electricitate curatum in *Tent. & Comment. Societ. N. I. Gedanens.* T. II. de LA MOTTE, & affectum paralytico spasmodicum sublatum **ALLAMAND & GAUBIUS** part. I. *Comment. Societ. Scientiar. Harlemens.* & insultum convulsivo hystericum *Philadelphiæ CADWALLADER EVANS Medical. observ.* T. I. & brachium paralyticum **CHEENEY.** **HART.** *Philosoph. Transact.* Vol. XLIX. & paralysim **WHYTT** iisdem Vol. L. p. I. & hæmiplegiarum durum curationem **ZVINGER.** *Act. Helv. phys. math.* Vol. II. & paralysim linguæ singularem **ALLAMAND,** & dentium dolorem & surditatem **LEROY** *Histoire de l'Acad. des Sciences.* 1757, & palpebrarum superiorum lapsum *Act. Acad. Elect. Mog.* T. I. **BAUMER,** possent adhuc addi alia pericula plurima.

Hodie tamen post tot observationes vix unus alterve hinc inde adhuc electricitatis in corpus humanum effectus extollit. Commotionem electricam percussionis & verberum efficaciam solum habere **D. LOUIS** demonstravit; partes solum rubefacere, & mininam omnibus de ea factis jactationibus fidem adhibendam esse **Cl. KUHN** in *Act. phys. med.* T. I. Item post varia tentamina in variis hominibus vario morborum genere laborantibus instituta, certos & indubitos effectus ab electricitate hactenus exspectandos non esse **Cl. ZETZELL.** *Recueil. Period.* T. V. & **Cl. LEROY** post capta alia tam in hæmiplegia, gutta serena, quam surditate experimenta, quid de viribus medicis electricitatis statuere possit, se adhucdum ignorare fatetur: & non nisi in rheumatismis curandis fluidi electrici usum sibi esse perspectum. *Acad. des Sciences* 1761. Ultimo demum etiam **Cl. TRYSSOT** intervenit, &



& pessime pro paralyseos specifico electricitatem venditari contendit: dum ipsa & febris, & convulsiones, & plethora inducit, sanguinemque ad caput cogit, & casu paralysim facit, & auget de *Apoplexia*.

Revera audax, & anceps remedium est electrica commotio. Subitas huius martyres aves **NOLLETTUS**, **I ALABERTUS**, & alii plurimi recensent; nec hodie mortalium ullus ignorat hac etiam homines occidi; Sic prostratus **Cl.** dum viveret Professor **DOPPELMAIER**, & inter media experimenta exspirat saeviori fulmine tactus **Cl.** Petropolitanus Academicus **RICHMANNUS**.

Nec simplex electricitatis vis semper tuta est, in virgine menstrua suppressit, ex ulcere venereo effluxum cohibuit, dum simul ulcus inflamaret **LOUIS**, & ægrum hic Viennæ occidit. Nuper an inoculatio per **DEUM** liceret quæsum est, & de electricitate nihil quæritur.

---

## ANIMALIUM. EXHALATIONES.

**E**ffœta, & præ languore interitura corpora, animali exhalatione refici iam antiquitati notum fuisse, **DAVIDIS** que exemplo confirmatum, & hodie familiare esse, vide *Illustr. L. B. van SWIETEN Comment.* Nec tamen aut his, aut aliis evidentioribus exemplis, iuvenilis vigoris bona, in senis corpus attracta accubitu, ita deduci, ut iam hoc elanguidum sensim depereat, probatum, quanquam & id plurimis pronunciatum sit. Nam etsi id ipsum verum, ægritudines contagio-

fas



fas esse posse, & accumbenti corpori communicari: ita ex impuro lecti socio multos tabidos factos olim sanissimos probe meminit *Cl. HUXHAM de constitut. Aeris & morbis Epidemicis*; ita de canum in podagra usu plurinus *BORELLUS*, factum alii confirmant, & ultimo de cane podagræ magnete, obs. dedit in *Acad. N. C. Vol. VI. van WOENSEL*; hæc tamen id non satis demonstrant.

Sed quid est in perspirabili refientis? et si sua cuique animali atmosphæra est, a propria individuorum fabrica dependens, est tamen omni subtilissimum odoratum principium ab eadem; docet inquirendis aliis, animalium sagacitas; hoc suscipi, susceptum refocillare exhaustum posse, maxime si e iuvenili vegeto corpore emanet tanta copia, ut calculo docuit *SANCTORIUS*, haud mirum. *AUGUSTI Cæsar*is suaveolens corporis atmosphæra, ni adulatoribus scripta, insolita: sed etiam sudorem axillæ sinistræ tempore æstivo moschum redoluisse, alias hoc odore liberum, *PRAECEPTOR* meminit.

---

## TERRÆ EXHALATIONES.

**N**ec solum animalia, aut vegetabilia perspirant exhalantque, sed & fossilia id ipsum faciunt, suntque, ut in prioribus, aut salubria, aut insalubria horum effluvia; de salubribus non dicam, de insalubribus venenatis Tom. III.

Et imprimis habet aliquid fragrantis terrei, patens ex humo aratro versa fulcus, habet ipsa, post messem in cam-



campis, per sicca stramina, tanquam nova exhalantia  
vafa perspirans terra, habet id eadem semper ex decidua  
pluvia madefacta; hoc vero fragrans ex suo sinu non  
ex vegetabilibus exsuccis nunc imbre refectis & exhalan-  
tibus, mutuatur, REAUMURII experimentis *Acad.*  
*des Sciences* 1730. licet non eam inficias, vegetabilium  
exhalationes, puris crudæ terræ exhalationibus iungi  
posse sique aerein gratiorem reddi & observari.

Sed nunc certum est, esse in ea singulari terræ fra-  
grantia aliquid reficientis recreantisque animalia corpo-  
ra, quod & fani maxime post pluvias in campis expe-  
riantur, quod & Epilepticis deambulantibus tribus qua-  
tuorve horis quotidie, per integrum septimanam vel  
diutius, in fulco immediate post aratum humum ver-  
sans, aut in agello annis aliquot feriato, laudatur **MEZA**  
**armament. med. Hafn.** 1761. quod et lithanthracum va-  
pore in fodinis carbonariis oberrante mulctatis effosso  
e terra cespite haustum saluti sit **TRIEWALD. Act.**  
*Upsal.* 1740; quod totius externæ corporis superficie  
quasi forma balnei communicatum & resorptum, phthi-  
ficiis profit van SWIETEN. *Commentar.* T. IV. p. 101.



## VEGETABILIUM GRATI VAPORES.

AURANTII flores *Offic.* p. 36.

CITRII flores *Offic.* p. 37.

CROCUS *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis  
Liliorum. *Germ.* Saffran. *Gallis* Safran. *An-*  
*glis* Saffron.

**C**RUCUS, floribus fructui impositis, tubo longif-  
simo. *Crocus officinarum*, est pistillum ovarii in  
tres lacinias fissum, non ipse flos. Mira species ma-  
teriae, ad oleosum spirituosum pertinens: recens fra-  
granti odore prædicta, coloris rutili, pinguis, flexilis,  
tritu difficultis, manus fricantis inficiens, probatur: ta-  
lis est crocus Austriacus non solum in spiritu vini recti-  
ficatissimo totus solubilis, sed etiam in spiritu vini re-  
ctificato, imo etiam totus in aqua. Ad varia olim, ut  
etiam hodie adhibetur, docet epicrocium, crocorancis,  
opera aurichalcea, magniarure &c. itidem condimenti  
loco multis usurpatur nationibus.

USUS MEDICUS externus, odorati modera-  
te croci ad animales spiritus excitandos eximius,  
**BOERHAAVE.** In Pulmonibus affectis peculiare quid  
præstat. **FR. HOFFMANN de Medic. Selectionibus.**  
Inmoderate caput gravans, mente turbans, sardonius,  
apoplecticus, lethalis, **GALENUS**, **FABER LYNA-**  
**CÆUS**, **BORELLUS**, **L. B. van SWIETEN.** Internus  
iisdem conditionibus idem, minori dosi exhilarans,  
maiori sensus omnes sopiens, ut vinum, & opium;  
etiam virgines pro provocandis menstruis maiori cro-  
ci



ci dosi indulgentes in immoderatos risus solutas RIVERIUS vidit, & alios casus alii habent, ut recte de salubri, vel noxia croci dosi queratur: In hac audaces multi, multi timidi; liberalior nec sequendus LINNÆUS, dum croci Orientalis, & Britannici drachinam dimidiā, tinturæ croci tantumdem, extracti croci grana XV. pro dosi exhibit. Duæ tertiae eiusdem convenientissima dosis est, non assuetis.

Difficulter recens, pinguis, pulverisatur, massæ pilulari, electuario, incorporari integer potest, etiam in præparatis dari in melancholia, tristitia involuntaria, passione hysterica, in suscepto miasmate, languente natura in expulsione exanthematis: etiam laudatur scopo sudorifero, emmenagogi: externe erucum abdomini applicatum vomitus sistere LINNÆUS.

PRÆPARATA. *Extractionem croci. Essentia croci*, quæ cum spiritu croci in nostris officinis extrahitur dition, minori dosi a guttis V ad X pro dosi danda, alia paulo maiori.

IASMINI Flores *Offic. Botan.* Classis Naturæ lis Pauci-stam: *Germ.* Iasmin. *Gallis* Iasmins. *Anglis* Jessamy.

Variæ huius plantæ species sunt; IASMINUM foliis, oppositis, pinnatis; album vel maxime nobis officinale est, ut inde paretur oleum odoratum.

USUS MEDICUS veteribus haud cognitus, recentioribus inter illa, quæ grato odore languentes spiritus reficiant, & moveant, maxime floris, qui etiam infundi possit, gratus.

PRÆPARATUM. *Oleum iasmini*, quod diversis modis multis paratur, per infusionem his, per ex-

H 2 pres.



pressionem cum amygdalis, cum goffypio, oleo Ben  
imbuto, instratis iasmini foliis, aliis: unguentis &c.  
odoris gratia additur.

LILII ALBI flores. *Offic. Botanicor.* Classis  
Naturalis Liliorum. *Germ.* Weisse Lilien. *Gal-*  
*lis* Lis blanche. *Anglis* The White Lilly.

LILIUM foliolis sparsis, corollis campanulatis,  
intus glabris. Flores pulcherrimi candidi campanu-  
lam seu calathum efformant̄ admodum odorati sunt,  
caput, ut iasminum, tentantes naribus diutius supposi-  
ti. Quod vero illis inest volatile odoratum, nec faci-  
le elici, nec coerceri potest, cito evanidum: præter  
flores, antheræ excitantes, radix emolliens aliis classi-  
bus inferendæ sunt.

USUS MEDICUS florū, ubi humoribus bo-  
nis spirituum languor, utilis, odoratu, infusione, fo-  
tu. Antherarum, in vino infusarum lætificans. Bul-  
borum mucilaginosorum externus, maturans, unde fre-  
quenter cataplasmatibus suppurantibus recipiuntur.

PRÆPARATA. *Aqua* stillatitia florū lilio-  
rum alborum, odoris vinoli semper laudanda. *Oleum*  
vel insolatione vel coctione paratum, utrumque raro  
bonum, postremum officinarum inutile. Bene para-  
tum externum paregoricum, emolliens, dolorificis, &  
emolliendis partibus applicatur.

LILII CONVALLII flores *Offic. Botanic.*  
Polygonati flores. Convallariæ flores. Classis  
Naturalis Liliorum. *Germ.* Thal-Lilien. *Gal-*  
*lis* Muguet. *Anglis* Lillies of the Valley.

POLYGONATUM bifolium, scapo florigero,  
aphyllo. Etsi huius plantæ plurimæ species sint, ta-  
men



men bi-folio, scapo florigero, facile cognoscitur omnibus. Odor florum gratus, suavis, caput non tentans, durabilis magis quam liliorum alborum. Baccæ, radix, folia, amarissima raro adhibentur, licet hinc inde depraedicata; ex foliis cum calce fit pulcher, durabilis color viridis.

USUS MEDICUS florum in languidis excitandis spiritibus utilis, licet suspectam viam L. habeat, quam cum illa baccarum absque dubio confundit. Flores pulverisati sternutatorii.

PRÆPARATA. *Aqua stillatitia grata. Spiritus liliorum convallium laudatus, conserva cephalica.*

MELISSA *Offic. Botanicorum. Classis Naturalis Ringentium. Germ. Hertzkraut. Gallis Melisse. Anglis Balm.*

MELISSA *floribus ex axillis inferioribus, subfessilibus*, maxime officinalis, licet alias plures melissæ species adhuc officinæ asservent, non æque utiles omnes. Melissa *Turcica* odore in quidem aromaticum, sed, si ita loqui licet, fatuum, ingratum, nauseosum, & magis debilitatem, quam erigentem, habet. *Cannariensis* fragrantissima est, non ubique dispensata. Melissa vero hortensis *citrina* officinarum gratissima, maxime usualis, & laudata est. Siccata de aromate suo perdit nihil.

Estne melissa nostra mellitæna DIOSCORIDIS? Apiastrum PLINI quod in confessa damnatione venenatum in Sardinia? Aliis ad morsus venenatorum animalium laudatur, nobis tale nihil observatum.

USUS MEDICUS excitandi scopo olfactæ plantæ, etiam in vino frigide infusæ recentis, in in-

H 3 foli-



solita tristitia, maxime hypochondriaca, sensuum a causa frigida eclipsi, utilis, ut & in omni casu exhaustarum virium, ut post partum, proficuus: adhæc in morbis frigidis, languente humorum motu, in polyposis sanguinis concretionibus, affectionibus paralyticis, soporosis, laudatur; valet etiam ad dolores rheumaticos, podagricos in potu, & fotu.

**P RÆPARATA** egregia sunt. *Aqua stillatitia melissæ* vires plantæ habet, habet & has *Spiritus* sed longe efficaciores. *Aqua melissæ composita* Carmelitarum in Apoplexia frigida, paralyssi, lethargo, epilepsia, passione hysterica, palpitatione cordis, colica flatulenta, celebrata est, dosi drach. I. II. unc. semis, unius. *Oleum essentiale* ingens cardiacum forma elæosacchari. *Conserva*, *Syrupus* suis viribus gaudent,

**O CYMUM. B ASILICUM** *Offic. Botanicor.*

*Classis Naturalis Ringentium.* *Germ.* Citronen Basilien. *Gallis* Basilic. *Anglis* Basil.

**O CYMUM foliis ovatis, glabris**, suaveolens fragrans, gratissimi aromatis planta, per excellentiam regia dicta est. Ex infinita specierum varietate caryophyllata officinis electa; hæc, ut etiam aliæ culinis usitata. Scorpionum fabula imprudentior, quam verior.

**V I R E S M E D I C Æ** inter illas, quæ grata fragrantia debiles, & languidos reficiunt, excitant spiritus, plantas, principes: infusio frigida vinosa laudissima, dosis Manip. semis, libra vini una.

**P RÆPARATA.** *Aqua* Basilici.

PA-



PARALYSEOS flores *Offic. Botan.* PRIMU-  
LÆ. Classis Natural. Pauci-stam: *Germ.* Schlüs-  
felblum. *Gallis* Primevere. *Anglis* Prim rose.

PRIMULA foliis rugosis, hirsutis, spica inclina-  
ta, flore odorato. Flores prioribus minus odorati  
aroma subtile tamen, melleum, resiciens habent; ad-  
est etiam radix, herba, non earundem virium.

VRIES MEDICÆ florum in excitandis spiritibus,  
tremulis, paralyticis etiam membris, landatæ, totius  
plantæ podagraria lenientes fôtu; radicis amaræ sunt.

PRÆPARATA. *Aqua stillatitia ad capitis dolores* pota. *Spiritus, conserva.*

His etiam aliarum plantarum aromaticarum gra-  
ti odores, ut & odores singulares aliarum rerum ad-  
di possunt, sed hæc in altera classe dicentur omnia.

In his tamen omnibus id rite tenendum, subtilem &  
volatilem horum medicamentorum vim non solo odo-  
ratu in corpus ægrum deduci, sed etiam per vasa refor-  
bentia, per ipsam inspirationem communicari & in id  
fuscipi posse, multiplicem igitur patere modum, quo  
nervea illi subministrari queant: inde explicari actio-  
nem balneorum, emplastrorum, fomentorum, sacculo-  
rum, amuletorum: inde intelligi usum æolipylæ in  
*theatro tabidorum BENEDICTI* olim adhibitæ & nu-  
per in phthisi pulmonali a *Cl. MUZEL* feliciter ad-  
vocatæ aliorumque medicamentorum quoquaque mo-  
do corpori applicatorum actionem.



---

CLASSIS TERTIA  
**C A R D I A C O R U M**  
**STIMULANTIUM.**

**Q**uæ partium solidarum vividiorem addito robore actionem efficiunt, STIMULANTIA dicuntur.

Sciuntur necessaria a defectu motus circularis liquidorum, orto ex sola inertia fibrarum, una cum humoribus blandis, vasisque transmittendo aptis; cum vero hæc multiplex sit classis, quænam singularis species eligenda, docemur considerata indole mali peccantis, & cardiaci adhibendi.

---

**S T I M U L A N T I A**  
 SIMUL  
**N U T R I E N T I A.**

**A**URANTIORUM acidorum  
 Dulcium

Curassavicum succi. vide p. 36. 37.

**G R A N A T O R U M** maturor. succus, vide adstring.

**P O M O R U M** fragrantium  
 vinorum succi, pulpa. vide p. 53.

ANA-



ANANAS *Offic.* *Botanicorum* BROMELIA  
Classis Naturalis Liliorum.

Aliquot huius plantæ species sunt, odoris etiam fragrantia, & saporis excellentia discrepantes. Maturi fructus fragrantissimi, aromate etiam per totum conclave diffuso, saporem inimitabilem, & suavitatem omnibus experitam habent. Rari, magnatum mensis solum adhibiti, non satis certo experimento multis culpantur.

VIS MEDICA nutriens, cardiaca, grato stimulans aromate, hypochondriacis, melancholicis, vel inde etiam ob vim fundentem maxime utilis. Succus fructus nondum penitus maturi specificus ad calculum habetur in *Jurnal de Scavans. Mem. Trev.*

ARMENIACA. p. 36.

CERASORUM sapidissimorum caro p. 38. 39.  
Aqua reficiens.

FRAGA p. 45.

MELONUM caro p. 48.

MORA. p. 49.

PERSICA. p. 51.

PRUNA acidula. p. 54.

RIBESIORUM nigrorum baccæ. p. 55. 56.

RUBI IDÆI BACCÆ. p. 56.

UVÆ odoratæ moschatæ dictæ p. 60.

Quæ omnia in sicca, & calida debilitate optima stimulantia sunt, cum plurimum aquosa, aliquantulum reficientia, nutrientia, etiam leni aromate stimulent. Venit etiam in hanc classem

TUBER *Offic.* LYCOPERDON *Botanicorum.* Clasiris Naturalis Fungorum. *Germ.* Erdmorcheln. *Gallis* Truffles. *Anglis* Tufball.

LYCOPERDON solidum, muricatum, radice de-

stitutum, virulenti odoris, in vino generoso coctum

H 5 estur,



estur, difficilioris tamen digestionis est in aqua non facile solubile & solutum in gluten tenax degenerans, tum in spiritu vini induratur *GEOFFROY junior Acad. des Sciences 1711.* Destillatum statim alcalinam indolem prodit, & habet magnam vim alcali volatilis, dum caput mortuum non spernendam fixi suppeditat, & tinctura etiam aromatica & alcalina est, *IDEM.*

**VIS** aromaticā. Addit languidis stimulos quotidiano experimento, & lactantibus lac. *Acta Phys. Med. N. C. Vol. VIII.* An compescit motus hystericos?

---



---

### S T I M U L A N T I A E X C I T A N T I A, S U B T I L I A.

**BORAGINIS** flores *Offic. Botan.* Classis Naturalis Pauci-stam: *Germ.* Hertzblümlein, *Gal-*  
*lis* Bourrache. *Anglis* Borrage.

**BORAGO** foliis alternis, calycibus patulis. Flores iam veteribus in usum cardiacum noti, inter IV flores cordiales maiori forte encomio quam iure recententur; ego aromatici odorati parum invenio.

**USUS MEDICUS** florū frequentior quam utilior. Totius plantæ certo solvens, saponaceus, inflammatis, & obstruētis summopere utilis, in decocto, sero



fero lactis, succo, non adeo limitata ubi resolvendum est dosi. Cæterum ob salia quæ illi insunt efficax est, examen enim triplicis salis, **BOLDOUC** educiti, *Acad. de Scient.* experientia confirmat. Succus adhuc ad calculum laudatur.

**PRÆPARATA.** Conserva florum vix multi usus. *Aqua* vix magnæ virtutis. *Syrupus* lege artis paratus.

**BUGLOSSI** flores *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Pauci-stam: *Germ.* Ochsenzung. *Gallis* Buglosse. *Anglis* Buglose.

**BUGLOSSUM** floribus longe spicatis *HAL:* Præcedentibus haud magis cardiaci etiam inter IV flores cordiales recipiuntur. Tota planta usualis, utilior floribus.

**VIRES MEDICÆ** cum præcedentibus eadem, hypochondriacis, melancholicis, etiam inflammatione vexatis convenient. Decocti, succi, dosis in obstructis non adeo facile limitanda, inflammatis Manip. unus, duo, in libra aquæ sufficiunt. Succi una, VI. in lib. seri lactis, decocti avenæ, hordei, dantur.

**BETONICÆ** flores *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Ringentium. *Germ.* Betonien. *Gallis* Betoine. *Anglis* Betony.

**BETONICA** foliis, inter verticillos in vertice congestos, brevissimis, integris. Mirum quondam laudata planta, parum odorata, aromatica, tota in officinas medicas recipitur. Herba tamen & flores frequentiores. Radix nauseosa, ingrata, incidens, rarius,



VIRES MEDICÆ florum debiles, nervinæ, herbae ad capitis dolores frigidos, sic & arthriticos, podagricos, infusione calida continuo sumitæ, laudatæ: ad ulcera pulmonum, renum cum melle edulcoratæ decoctum lene vasis clausis, vulnerarium. Dosis unc. una, libra aquæ una.

PRÆPARATA. *Conserua* florum multum adhibita, parum aromaticæ, sic etiam aqua. *Syrupus* ex succo expresso depuratus eiusdem notæ. *Emplastrum* compositum medicamentum est, ex vi betonicæ vix multum activum, ad capitis dolores laudatur.

BOTRYS *Offic.* *Botanicorum.* CHENOPODIUM. Classis Incompletarum. *Germ.* Trauben-Kraut, Motten-Saamen. *Gallis* Piment. *Anglis* Oack of Ierusalem.

CHENOPODIUM foliis dentato-lineatis, racemis nudis, multifidis, dicitur etiam Chenopodium ambrosioides, folio sinuato T. Oblivioni fere tradita planta, tota odorata est, non insuaviter graveolens, saporis subaeris, resinosi, aromatici, amari. Vires promittit & habet.

USUS MEDICUS in labe purulenta viscerum in pulmonum infarctu, phthisi, orthopnœa, tussi convulsiva, præstans pluriinis confirmatur observationibus: purulenta spuentibus in lacte infusa MATHIOLO, in aqua decocta addito syrupo violato HEURNIO, felieiter cessit. Alii adhuc looch, alii syrum laudant. Dosis unc. dimidia ad libram lactis, aquæ, melle temperandæ.

PRÆ.



PRÆPARATA balsamicæ præstantis plantæ desiderantur.

CROCUS *Offic.* vide p. 113.

HYACINTHI TUBEROSI. *Botanicorum Polyanthes* admodum odorati flores officinales non sunt.

IASMINI flores. vide p. 115.

LILIORUM ALBORUM flores vide p. 115. 116.

LADANUM *Offic.* *Botanicorum CISTUS.* Classis Multi-stain. *Germ.* Ciflen-Röslein. *Gal-*  
*lis Ladanum.*

CISTUS *ladanifera flore purpureo.* Et si hinc inde in hortis botanicis colantur cistorum ladaniferarum species, non tamen adeo communes sunt, ut magnam quantitatem ladani suppeditare possint: officinale ladanum est exstillans ex frutice lacryma resinosa, & hæc adhuc duplex, vel in massas grandiores compacta præstantior, altera in panes contorta, arena intrita vitia-  
ta, deterior: probatur valide odoratum, accensum suave, multi odoris, calore mollescens, purum, ladanum.

USUS MEDICUS internus rarius. Externus in suffumigiis multus, & gratus, & ad laxas partes roborandas utilis: ex ladano extrahi spiritu vini resina potest, quæ in solidam formam redacta, admodum nervina, contumacioribus cephalalgiis efficax, HOFFMANN *Dissert. de Bals.*

Compositum *Emplastrum* de ladano in morbis capitis, pectoris, ubi humores extra alliciendi, magnæ efficaciæ.

MELIS.



MELISSA *Offic.* vide p. 117.

PHILADELPHIÆ flores officinales non sunt.

ROSARUM RUBRARUM flores vide adstringent.

RHODIA RADIX *Offic.* *Botanicorum Classis Incomplet:* *Germ.* Rosenwurtz. *Gallis Racine sentant la Rose.* *Anglis Rose-root.*

*Anacampseros radice rosam spirante.* T. Alpium incola gratum, & iucundum odorem rescientem habet: probatur recens odorata radix.

VIRSES odoratas pulchras habet, interne etiam adstringentes: recentem ad cephalalgiam specificam L. habet.

RHODIUM LIGNUM *Offic.* planta ignoratur, & *Classis.* *Germ.* Rodiefer-Holtz. *Gallis Bois de Rhode.* *Anglis Rose-Wood.*

Veterumne Aspalathum sit lignum nostrum rhodium, nec ne? lite hodie nondum composita, iam dudum disceptatur. Officinale varias formas habet, iam radici, iam segmento ex arbore execto similius, etiam colore variat flavo, pallescente, per vetustatem rufescente. Exterior pars saepe non inultum fragrans est, dum interior raro rosarum odore destituitur, cum sapore aromatico acri, amaro, resinoso. Ut ex hac destillatione oleum evocetur, ruberrimum lignum eligendum, albidum vix aliquid largitur. GODFREY *Treasure of discoveries.*

USUS MEDICUS vix multus internus: tamen non negandum, essentiam radicis ligni, tum decoctum in aqua, in lymphæ vitiis, in ipsa lue venerea, & inti-

ma



ma humorum corruptione, eximium præstare effectum,  
HOFFMANN de Bals.

PRÆPARATUM. Ex ligno per aquam diu cum  
sale marino macerato destillationis ope parca copia  
*oleum* habetur fragrantissimum, quod pro oleo essentia-  
li rosarum sœpe adhibetur; guttae aliquot saccharo in-  
stillatae elæosaccharum dant cardiacum, egregium.

SAMBUCI flores vide p. 57.

SASSAFRAS Lignum; Cortex *Off. Botanico-*  
*rum* LAURUS. Classis Pauci-*itam*. *Germ.*  
Fenchelholtz. *Gallis Sassafras. Anglis Sassafras.*

LAURUS foliis integris trilobisque. Hujus arbo-  
ris lignum, cortex, forte & radix in usum trahuntur:  
an enim lignum trinci, an radicis habeamus, nondum  
determinatum. In cortice recenti maior fragrantia,  
sapor calidior, odor fugacior, quam in ligno eius, præ-  
minentiam testantur.

VIRES MEDICÆ aromaticæ, stimulantes, ubi  
augendus humorum motus ad corporis peripheriam,  
præstantes; ita in morbis catarrhotis, frigidis, articu-  
laribus, rheumaticis, podagricis, sine magna febre,  
morbis cutaneis, tunc ubi languens stimulanda & exci-  
tanda natura est, cocta materie in febrium fine. Lau-  
davere pariter in lue venerea, non tam satis efficax  
tanto malo debellando medicamentum, in fluore albo,  
cachexia, scorbuto lento: ultimo invenere etiam in ul-  
cere, abscessu balsamicum, & hydropsis remedium;  
frustra enim omnibus tentatis decoctum urinam evoca-  
vit *Ephemerid.* N. C. Dosis pro varia intentione diversa.  
Infunditur aquæ, vini, lib. I. a drach. II. unc. dimidia  
ad unc. integrum. Coquitur nunquam, licet decoctum  
in



in paralyſi ex colica, tum podagricis, multum prodeſſe obſervatum fit.

PRÆPARATA. *Extractionem vires simplicis non habet omnes, cortici peruviano analogas tamen credit HOFFMANNUS. Aqua stillatitia egregia. Essentia spiritu vini tartarifato facta, vi simplicis ditissima, confortans, carminativa. Oleum essentialie penetrans, actuosissimum.*

VINA, ACETA, SPIRITUS, ſimilibus impregnata.

## S T I M U L A N T I A E X C I T A N T I A F I X I O R A A C R I A.

ABROTANUM *Offic. Botanicorum ARTEMISIA L. Classis Compositarum Nudar. Germ. Gartheil. Gallis Aurone. Anglis Southern-wood.*

**A**RTEMISIA *foliis ramosimis, setaceis, caule eretto, fruticoso.* Odoris fragrantissimi ingrati, faporis acris, amari planta, exſiccationem patitur abſque adeo magna virium jactura, licet decoqui non debeat, ſed tantum infundi. Recentis infuſio frigida iam ſumme actuosa eſt.

VRIES MEDICÆ incitantes, ſtimulantes, calefacientes, in cauſa frigida utiles; lethargo, tuſſi, flu-



fluori albo medentur. Dosis uncia dimidia, libra una  
aq. vini. Externe contrita recens fugillationibus sub-  
venit; ad balnea uterina etiam recipitur.

PRÆPARATA. *Aqua* abrotani vires habet sim-  
plicis, *oleum* coctum nullas.

ABSYNTHIUM *Offic. Botanicorum.* AR-  
TEMISIA L. Clasis Compositarum Nudar,  
*Germ.* Wermuth. *Gallis* Absinthe. *Anglis*  
Wormwood.

Quanquam plures sint Absynthiorum species, ele-  
gere tamen solum officinæ vulgaris, & Pontici herbam:  
prima definitur artemisia *foliis compositis, multifidis,*  
*floribus subglobosis, pendulis, receptaculo papposo.*  
Amarissima planta est, simul fragrans, aromatica. In  
usum officinalem vocantur folia, & suminitates. No-  
ta in usu communi cerevisia absynthiaca, vinum ab-  
synthites.

Altera *foliis compositis, multifidis, subtus tomen-*  
*tosis, floribus subrotundis, nutantibus, receptaculo*  
*nudo determinatur; præcedenti fragrantior, & mi-*  
*nus amara habetur.*

VIRES MEDICÆ in morbis frigidis stimulan-  
tes, glutinosis incidentes, languidis excitantes, lau-  
dantur. Hydropeim incipientem sœpe perfectissime  
planta tollit, adultum iuvat. Cachexiæ senili frigidæ,  
& mucosæ diathesi, medetur: ventriculi a muco lan-  
guentis vitia corrigit, & languorem post febres inter-  
mittentes pellit, defectui bilis subvenit, etiam acido  
resistens extemporaneo experimento. Datur forma  
pulveris ad drach. semis, infusi unc. semis, unam, in

Crantz M.M. T.I.

I

libra



libra una aquæ, vini. Succus coctione purgatus, intense amarus, ingratus.

Externe absynthium aquæ marinæ incoctum, remedium ad gangrænam euphoriston plurimis experimentis  
**BARTHOLINUS** habet.

**PRÆPARATA.** *Conserva vulgaris, & pontici,*  
*vires plantæ totas habet. Dosis drach. una. Extræ-*  
*ctum de fragrantia plurimum amisit, dum totum ama-*  
*rorem habet. Dosis gran. X. XX. forma boli, ele-*  
*ctuarii: aut cum liquoris terræ foliatæ tartari, cum vi-*  
*no paratæ, sufficienti quantitate, vel alio, tincturæ*  
*forma, ad gutt. triginta, quadraginta. Syrupus ama-*  
*ritiem plantæ habet. Aqua stillatitia fragrans, parum*  
*amara est. Effentia tam simplex, quam composita, va-*  
*lida deprehenditur, dosis guttæ viginti, triginta.*  
*Simplicem contra calculum specificam LINNAEUS*  
*habet, sumendo cochlear unum omni mane per sex*  
*septimanas, dein singula septimana per dimidium an-*  
*num cochlear, vitando vina, potus, cibos acidos.*

*Spiritus absynthii validus etiam, essentia simplici*  
*debilior tamen, dosi paulo maiori dari posset. Oleum*  
*essentiale non omnes officinæ habent, viride, amarum*  
*est, cuius drachma una soluta in spiritus vini rectifica-*  
*tissimi & liquoris mineralis ana uncia semis, aut una,*  
*mixturam constituit concentratam in vomitu & compo-*  
*nendis spasmodicis harum partium contractionibus, per-*  
*utilem dosi guttarum decem viginti & ultra. Oleum*  
*cotiū parum de planta possidet. Sal absynthii no-*  
*men, non vires plantæ habet: pro diversa præparatio-*  
*ne alcalinus, vel medius est.*

ACO-



ACORUS *Off. Botanicorum.* Classis Palmarum.  
*Germ.* Calmus. *Gallis* Acorus. *Anglis* Acorus.

ACORUS *verus*, seu Calamus aromaticus officinarum radicem nobis suppeditat, quæ absque iactura virium exsiccati possit, siccam, etiam conditam gratiorem, sed magis effætam.

VIRES acres, admodum calefacentes, in morbis frigidis, mucosis, insignes; ita in prostrato appetitu, mala digestione &c. ex hac causa glutinoso spontaneo, in taleolas secta radix aliquoties de die deglutita sæpe auxilio fuit; convenit etiam hydropi, catarrho senili, in hoc quam alio corpore magis pertinaci, tum aliis mucosis pectoris morbis melle remixta. Iuvit etiam paralyticos; & infinitos lotii suppressione laborantes, decocto ex vino tenui facto, se restituisse testatur FALLOPIUS. Acre, stimulantissimum medicamentum, aromatis fixioris, inflammantis fere, in febribus exanthematicis, malignis, laudat LINNAEUS. Heu quale medicamentum! Datur in taleolas secta recens, ficcata in pulvere a granis quinque ad decem, duodecim, in infuso ad unc. dimidiam; decoqui non debet.

PRÆPARATA. *Radix condita* pro delicatulis: Extractum egregiarum adhuc virium ad scrupulum semis datur.

AGALLOCHUM, seu ALOES lignum *Off.*  
*Botan.* Classis ignoratur. *Germ.* Aloes - Holtz.  
*Gallis* Bois d'aloë. *Anglis* Wood of aloes.

Inter thymiamata in templis deorum & palatiis in regum adhuc hodie in oriente comburitur pretiosoſ ſufitu. *Calambac* æſtimatiſſimus eiusdem ligni nodus,



quod maxime resinofus, in Europa raro visitur: resinam sudans in cymeliis Regiae Societatis Londinensis servatur.

**VIRES MEDICÆ** anthelminticæ, roborantes, **BONTIO** confirmantur: in cholera, paralyse, podagra alii laudant. Dosis in pulvere scrupuli unius: in infuso aquoso, vel vino uno. diuidiæ. Hodie non multum in usu est. Venenati quid subesse L. testatur; sed **F. HOFFMANNUS** resinam spiritu vini rectificatissimo extractam dandam, essentiam resinofam cum tinctura martis permixtam ad debilitatem viscerum in hypochondriacis magno pretio haberi: *Dissertatione de Bals. tum distillatione elici oleum æthereum frigore instar camphoræ concretum, quod in spiritu vini rectificatissimo solutum, essentiam magnarum virium in roborando cerebro, nervorumque debilitate emendanda, probabat.* IDEM *ibid.* ad alvi fluxus specificum non nulli deprædicant.

### AMOMUM Off. Botanicorum MYRTUS.

Classis Calyciflorarum. Germ. Amomlein. Gallicis Amome. Anglis All-spice. Iamaica Pepper.

**MYRTUS** foliis alternis. Celebratissimum antiquitati amoenum hodie in integrum ignoratur. Baccæ quæ hoc nomine in officinis vocantur, ex Iamaica ad nos deferuntur, rotundæ, scabré, fusco nigricantes, umbilicatæ. Odoris, & saporis caryophyllæi, non tamen adeo acris, quasi ex plurimis aromatibus mixti. Condimentorum numero in Anglia adscriptæ sunt.

**VIRES MEDICÆ** odoratæ, calefacentes, stomachicæ.

boni ingil. mobaria. exquisitiæ. solida. benp.

ANE-



ANETHUM *Offic.* *Botanicorum.* *Classis Naturalis Umbelliferarum.* *Germ.* *Dyll.* *Gallis Anet.* *Anglis Dill.*

ANETHUM *fructu compresso;* dum recens est, odorem habet fragrantissimum, qui in exsiccata perit, hinc recens tantum adhibetur; & dum haberi non potest, eius semen, flores, aut preparata in usum vocantur. Flores inter IV. carminantes recipiuntur.

VIRES huic plantæ aromaticæ, stimulantes, carminativæ specificæ, laudantur in singulu, torminaibus, flatibus, a causa frigida exortis; valet itidem ad mucos pulmonis infarctus, unciae dimidia, etiam unius pondere, in infuso melle edulcorato. Genitiram restinguere iam DROSCORIDES prodidit; in *Ephem.* N. C. confirmatio habetur. Externe contusum ad tumores frigidos valet, coctum etiam in epemate carminativo.

PRÆPARATA. *Aqua stillatitia efficax:* *oleum* destillatum validum: *coctum* inutile.

ANGELICA *Offic.* *Botanicorum.* *Classis Naturalis Umbelliferarum.* *Germ.* *Engelwurtz.* *Gallis Angelique.* *Anglis Angelica.*

ANGELICÆ foliorum impari lobato; neglectis foliis radix, & semina tantum officinalia sunt, tum etiam radicis usus præ semine, longe maior est. Mírum saporem aromaticum, amaruim, acrem, radix habet, penetrabilissimum quidem, non tamen inflammanteum: datur in pulvere ad grana quindecim, virginati, in infuso ad unc. semis in lib. aquæ. Semina iisdem dosibus, & formis.



VIRES MEDICÆ alexipharmacæ, dum suscep-  
ptum venenum, miasma, nondum infedit, sed quasi  
adhuc vagum in humorum massa errat, certæ sunt, in  
infuso addito aceto; tum ubi sub finem acutorum ex-  
stimulanda natura est, ut per corporis peripheriam co-  
cta expellat, valet; est adhuc pectoralis, carminativa,  
emmenagoga frigidis. Angelicam Canadensem purpu-  
ream indomabile esse venenum, quod præstantissima  
antidota cludat, autopta est KALM.

PRÆPARATA. Extractum non ignobile: *Aqua*  
*stillatitia*: egregia. *Spiritus* non ubique habetur.

ANISUM Offic. Botanicorum. Classis Natura-  
lis Umbelliferarum. Germ. Anis. Gallis Anis.  
Anglis Anise.

ANISUM foliis radicalibus simplicibus, nihil nisi  
semen officinis largitur; olim etiam inter condimenta  
relatum, ut hodie pani aspersum: inter IV. semina ca-  
lida maiora refertur.

VIRES in vitiis primarum viarum, tum pulmo-  
num frigidis, egregiæ: inde stomachicum, carmina-  
tivum, anticolonum, bechicum. Etiam comitiales in-  
fantes iuvat, PLINIUS, quos scripulus unus grosso  
modo pulverulatus primo pultis cochleari commixtus  
purgat, HEURNIUS. Forma pulveris a scrupulo ad  
drachmam: infusi ab uncia semis ad integrum datur.

PRÆPARATA. Confœctio anisi simplex, semen  
est saccharo incrustatum laudandum delicatulis. Con-  
fœctio anisi laxativa, acidulas suinentibus præscripta.  
Utraque non in omnibus officinis habetur: Species dia-  
nisi laudandæ in primarum viarum cruditatibus, com-  
positæ aliis calidioribus sunt. *Aqua* stillatitia virtutis  
plan-



plantæ. *Spiritus* anisi saccharo, syrupo temperatus, cochlearis mensura carminativus, stomachicus; linguae tremorem spiritu anisi, & serpilli curatum vidi D E C K E R. *Oleum* stillatum butyraceum, album, penetrabilissimum, nutricis lac odore anisi infecit, etiam enchymosibus illitum utile. *Oleum pressum* viride feminis vires habet, sed destillato inferius est.

COMPOSITA. *Balsamus* sulphuris anisatus egre-  
gie pectoralis; alia scire vix opus.

ANISUM STELLATUM *Off. Germ.* In-  
dianischer Anis. *Gallis* Badiane.

Botanici nec de nomine, nec de classe conveniunt, quæ ab uno vocatur *Zingi*, nescio, quo iure ab alio dicatur *Badanifera*, nonne a tertio *Ciegerdeckia* maiori adhuc iure vocari posset. Fructus fraxinellæ similiis, stellatus, saporis medii est, inter anisum, & fœniculum, longe gratioris, suavioris tamen.

USUS MEDICUS in iisdem casibus ac Eu-  
ropæum, in infusis theiformibus frequens. Mastica-  
tum fœtorem oris emendat.

ARTEMISIA *Offic. Botanicorum.* Classis Com-  
positarum Nudar. *Germ.* Beyfus. *Gallis* Ar-  
moise. *Anglis* Mugwort.

ARTEMISIA foliis planis, semipinnatis, pinnis  
rariter dentatis, floribus erectis, dense spicatis HAL-  
LER. Officinis herbam suam offert, summitates, flo-  
res, radices: absynthio minus amara est.



VIRES MEDICÆ ab omni tempore uterinæ recognitæ, hinc ad mala virginum, mulierum, puerarum, ex retentis menstruis, vel lochiis laudant, potu, fotu, infessu: partes podagreras herba fotas dolore absolvit, & sclopetorum ictus, vulnera, hac percurari multi afferunt: accensæ suffitus ab œdemate liberat; dosis absynthii.

PRÆPARATA. *Aqua stillatitia, syrpus, egregii usus.* *Moxa* celebre illud in Asia remedium cauterifans, stupa artemisiæ albæ est, concipiendo igni aptissima, qua accensa ignis moderate gliscit, scintilla minus conspicua, ardore temperato, progressu lento, donec in favillam tota depasta sit. Medicis Europæis vix in usu, aliis heroicum, vide KÆMPFERUM. A podagra non absolvit. L. B. VAN SWIETEN.

AURANTIORUM recentes cortices. Oleum p. 37. 38.

CITRIORUM recentes cortices. Oleum p. 40.

CALAMINTHA *Offic. Botanicorum. Classis Naturalis Ringentium. Germ. Berg-Münze. Gallis Calament. Anglis Calamint.*

CALAMINTHA vulgaris, seu officinarum, botanicis Calamintha floribus ex alis superioribus pediculis communi confertis, definitur. Grate aromaticâ hæc; alia Calaminthæ species etiam usitata officinis, quæ Calamintha foliis ovatis, obtusis, caule procumbente, audit HALL. & BLACHW. Tab. 176. delineata, validior, ingratior est.

VIRES MEDICÆ in causis frigidis cephalicæ, pectorales, nervinæ, uterinæ, calefacientes, in ulceribus



būs internis balsamicæ, detergentes, externos tumores fotu discutientes. Vasis clausis infunditur ad Manip. unum.

PRÆPARATA. *Aqua* stillatitia calamintæ *vulgaris*, *aqua* stillatitia calamintæ *montanae*, utraque egregia est, licet saporis non adeo grati. *Species dia-*  
*calaminthes GALENI* non habemus.

CARDAMOMUM *Offic. Botanicorum. Classis*  
Naturalis ignota. *Germ. Cardamomlein. Gal-*  
*lis Cardamoine. Anglis Cardamom.*

Tres cardamomi species nobis exhibent officinæ; est enim cardamomum simpliciter, & per excellentiam, & hoc *minus* est: est cardamomum *medium*: tum *maius*, quod est sub nomine *granorum paradyfi*, præserbitur, & priori sape substituitur.

Cardamomum *minus*, cur dixerit LINNÆUS amomum, dum amomi veterum, quam cardamomi notio, haud certior, non perspicitur fatis; semen est angulosum, rufum, odoratum, acre, aromaticum. *Mediæ* semen oblongum, pressum, angulosum, canaliculo divisum, ex albo rufescens. *Maioris* semen nitidum, angulosum, pipere minus, spadiceum, gustu acre, fervidum, ut piper, & zingiber esse solent. Semina hæc omnia siliquis inclusa esse solent.

VIRES MEDICÆ cardamomi *minoris* in cruditatibus primarum viarum, anorexia, dyspepsia, cardalgia, & colica flatulenta a frigidis causis, efficaces, incidentes sunt, in pulvere, trageis, vel aliis formis. Pulveris dosis a scrup. semis ad integrum. Cardamomum *maiuss* odoratissimum, ubi excitandum, & spiri-



tuum adaugendus motus, magis conveniens, eadem, etiam maiori præscribi dosi potest, ut in soporofis, lethargicis.

**PRÆPARATA.** Hinc inde in officinis habetur, ex cardamomo *medio*, in Indiis paratum *oleum*, C A I A P U T vocant, magnum nervinum, & anodinum, in linguae paralyssi, catalepsi, chorea Sti Viti, gravioribus aliis motibus convulsivis, summopere laudatum, etiam in cardialgia proficuum M A R T I N I. Dosis gutt. duarum, trium, quatuor, vino, ovo forbili, saccharo, subactarum.

**CARVUM** *Offic.* *Botanicorum CARUM.* Clas-  
sis Naturalis Umbelliferarum. *Germ.* Feld-Küm-  
mel. *Gallis* Carvi. *Anglis* Carraways.

Semina quæ etiam inter IV calida maiora numeran-  
tur, sola officinis, etiam culinis, in plurimis regioni-  
bus nota planta largitur; omni forma carvum præscri-  
bitur; valet in iisdem casibus ac cuminum, de quo in-  
fra dicetur.

**VIRES MEDICÆ.** Os commendare, stoma-  
cho utile esse carvum, & concoctionem adiuvare, re-  
liquit D I O S C O R I D E S.

**PRÆPARATA.** *Oleum* stillatitium nec dulce-  
dinem, nec gratiam olei stillatitii anisi habet, satis  
acre; in tympanide auxilio fuisse H A R T M A N N.

**CARYOPHYLLUS** *Offic.* *Botanicorum.* Clas-  
sis Naturalis Fructiflorar. *Germ.* Nägelein. *Gal-  
lis* Clous de Gérolles. *Anglis* Cloves.

Flos est clavatus, fumigatione niger, insolatione  
exsiccatus, oleosum fervidissimum aroma habens, ex  
Infu-



Insula Ternata ad nos devectus, culinis, & officinis  
notus.

VIRES MEDICÆ fervidissimæ, pertinaces, oleo  
irretitæ, ubi stimulo valido acri opus, proficuæ, ut  
in paralyſi linguae, ubi integri mandendi, in paralyſi  
aliarum partium, laxitate ventriculi, intestinorum,  
horum cruditate, exolutione, distensione, flatibus &c.  
ubi raro forma pulveris, sed semper vini medicati dan-  
tur. Pulveris dosis scrup. semis, infusi drach. tres in  
lib. vini I.

Externe pulverati sacculis stomachicis, pani tosto  
in imbecillitate fœtus, in singultu a causa frigida, ad-  
duntur.

PRÆPARATA. *Oleum stillatitium caryophyl-*  
lorum ignitum penitus & causticum, gossipio instilla-  
tuin, denti cavo indituin, si nervum contingit, certo  
deſtruit, & a dolore dentium liberat; cariem ossium,  
ſphacelum, instar ignis actualis inhibet; interne raro  
adhibetur.

Scire convenit novum aromatis genus quod Cul-  
lawan appellant & ex insulis Moluccensibus in Bel-  
gium advehunt deſtillari; deſtillatumque eius effentia-  
le oleum in Hollandia pro oleo essentiali Caryophyl-  
lorum divendi.

CASSIA LIGNEA *Offic. Botanicis LAU-*  
*RUS. Classis Pauci - Stam. Germ. Cassien-*  
*Holtz, Mutter - Zimmet. Gallis Cassia lignea.*  
*Anglis Cassia lignea.*

LAURI foliis lanceolatis, trinerviis, nervis supra  
basim unitis, cortex, est cinnamomo fatis ſimilis, co-  
lore,



140 CARDIAC. STIMULANT.

lore, odore, & sapore: gustus tamen distinguit debilius aroma, & glutinosum, quod cinnamomo non inest.

VIRES MEDICÆ cinnamomo debiliores, tamen adhuc in diarrhoeis ob glutinosam, & roborantem, utiles.

PRÆPARATA. *Essentia* cassiae ligneæ cum spiritu vini tartariso facta, laudabilis.

CHAMÆPITYS *Offic. Botanicorum BUGULÆ. TEUCRIUM L. Classis Natur. Rigitum. Germ. Schlagkräutlein. Gallis Ivette. Anglis Ground Pine.*

BUGULA foliis trifidis, floribus sparsis in aliis foliorum HALL. Teucrium foliis linearibus trifidis integerrimis L. Resinosa, amara plantula, plurimum aromatis habet. Herba præscribitur.

VIRES MEDICÆ in rheumatismo, arthritide, malo ischiadicō, incipiente podagra, nervorum morbis longo usu laudabiles. Laudant etiam in arthritide & doloribus rheumaticis PARISIENSES.

PRÆPARATA. *Aqua* stillatitia egregiæ virtutis: extractum multum adhuc medicatum, quia resinosum.

CINNAMOMUM *Offic. Botanicorum LAURUS. Classis Pauci-flam. Germ. Zimmet. Gallis Canelle. Anglis Cinnamon.*

LAURI foliis ovato-oblongis, trinerviis, basi nervos unicentibus, cortex, est tenuis, in cannulas convolutus,



latus, coloris ex flavo dilute rubescens, odoratus, aromaticus, saporis cum suavitate acuti, evanido aro-  
matis adstringentis, & hic optimus probatissimusque:  
vis in interiori corticis pellicula præcipua.

VIRES MEDICÆ, ubi domandum venit frigus  
a flaccida vasorum diathesi, humorumque inertia mu-  
cosa, & aquosa, stimulantes, roborantes, in exhaustis  
recreantes, sapidæ; tum & carminativæ, stomachicæ.  
Forma pulveris drach. semis, electuarii, vini medica-  
tiunc. semis, una, cum aliis præscribitur, tum ad  
gratiæ, tum indicationem.

PRÆPARATA, & COMPOSITA varia sunt:  
*Aqua cinnamomi buglossata* in involuntariis tristitiis  
utilis. *Aqua cinnamomi cydoniata* inutilis. *Aqua*  
*cinnamomi spirituosa lactea*, optimum analepticum,  
& cardiacum, non dosi aquarum stillatitarum, sed  
spirituum, præscribenda. *Aqua cinnamomi cum vino*,  
quæ zingiberis stimulum adhuc habet. Cur multa vi-  
tra crystallina aquam cinnamomi albescere, etiam fla-  
vescere faciunt?

*Sgrupus* satis male unam ebullitionem sustinet, cæ-  
terum egregius. *Oleum stillatitium* ex diversis plantæ  
partibus varium, hoc camphoratum, illud aquæ in-  
natans, aliud fundum petens, postremum nostris offi-  
cinis frequens, saepe adulteratum: genuinum ratione  
virtutis instaurantis; in collapsis gravidarum, partu-  
rientium, puerarum viribus, ubi nulla subest febris,  
hucusque cognitorum princeps, in ovo sorbili, vino,  
saccharo, dūarum, trium guttarum pondere exhiben-  
dum, tum in violento ventriculi spasmo podagra do-  
lentes vexante guttam unam alteram huius olei aut ma-

cis



cis e cochleari vini hispanici cum effectu aliqui præscribunt. Externe in ossium carie potentissimum. Sic ad separandas partes ossium cariosas, frequenti præscriptione se nihil vidisse, aut legisse convenientius, testatur TULPIUS. Tincturam in hæmorrhagia lochiali cum aqua melissæ datam proficuum invenit van SWIETEN.

CORTEX WINTERANUS *Offic. Botanicorum Laurus, Classis Pauci-flam. Germ.*  
Magellanischer Zimmet. *Gallis Canelle blanche. Anglis Wild-Cinnamon.*

LAURI foliis enerviis, obverse ovatis, obtusis, cortex, canella alba officinarum, est etiam in oblongos convoluta tubulos, exalbidos, cinnamomo crassiores, sapotis ex plurimis aromatibus mixti, acris, pungentis simul.

VIRES MEDICÆ præcedentibus calidores, stomachicæ, carminativæ, incidentes, in mucositate primarum viarum, in catarrhosis, & paralyticis affectiōnibus. Pulveris dosis scrup. semis ad scrupulum unum, vini medicati unc. semis.

CASCARILLA *Offic. Botanicorum CROTON. Classis Naturalis Incompletar. Germ.*  
Schackarille. *Anglis Cascarilla.*

CROTON foliis lanceolatis acutis integerrimis petiolatis, subtus tomentosis, caule arboreo. Ricinoides æleagni folio, seu Hathera CATESBEO, qui etiam eius iconem cum descriptione dedit, dicitur. Plantam omnibus Bahainæ insulis, maxime illa Elatheria, aliis Eleutheria dicta crescentem, multi cum Clu-



Clutia Eluteria confundunt. Convolutus hoc nomine in officinis cortex externa facie albidus, inodorus, insipidusque, interna fuscoferrugineus, grati odoris, saporis amariuscūli, aromatici. Eius rasura primo herbae nicotianæ commixta, fumo per fistulam tabacariam attracta, multo sese recommendabat sapore, dein etiam cortici peruviano substituta eius vis fuit, in pluriis casibus laudata.

USUS MEDICUS Cascarillæ in dysenteria epidemica probatus *Acad. des Sciences* 1719. Calefaciens, roborans, stomachica vis in morbis frigidis, ventriculi, intestinalium, pectoris, uteri, hodie in Germania nota est. Iungitur cortici peruviano in intermittentium curationem. Datur a granis quindecim ad triginta in pulvere, unciae semis dosi infusione aquosa, aut vinosa.

PRÆPARATA. *Extractum* simplici non comparandum. *Essentia* spiritu vini tartarisato facta laudabilis.

CORIANDRUM *Offic. Botanicorum*. Classis Naturalis Umbelliferarum. *Germ.* Coriander. *Gallis* Coriandre. *Anglis* Coriander.

CORIANDRUM *fructibus globosis*, solum semen officinis concedit. Recens graveolens, ingratum, cum floribus sambuci conciliat tamen vino fragrantiam moschatam. De eius virulentia experimenta desunt, quidquid commentatores in *MESUEN* Monachi opponant.

VIRES MEDICÆ stomachicæ, carminativæ.

CU-



CUMINUM *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Umbelliferarum. *Germ.* Kümmel. *Gallicis* Cumin. *Anglis* Cummin.

Sola officinalia semina, sunt inter IV calida maiora recensita: odorem habent gravem, vehementem, saporem aromaticum, subamarum, acrem, ingratum tamen; ob digestionis vitia & flatus, edulia hinc inde facta sunt. Omni forma dari possunt.

VIRES MEDICÆ carminativæ præstantes, in causa frigida certæ; tum in glutinosis primarum viarum morbis, in colica flatulenta, tympanitide auxilio est; conductit etiam anhelatoribus, orthopnoicis; externus frequentissimus forma fumi, cataplasmati, fomenti, pulveris sicci, discutiens in tumoribus aquosis scroti, aliarumque partium, usus.

PRÆPARATA. *Oleum* stillatitium, carminans. Dosis aliorum stillatitorum.

COMPOSITA. *Ceratum* de cumino, ad ultimum parum efficax.

CYPERUS LONGUS } ROTUNDUS } *Off. Botanicorum.*  
Classis Naturalis Graminum. *Germ.* Cyper-Wurtz. *Gallicis* Souchet. *Anglis* Cyperus.

CYPERUS longus culmo triquetro, folioso, panicula foliosa, supradecomposita, pedunculis nudis, spiculis alternis gaudet, dum rotundus culmo triquetro, subnudo, umbella decomposita, spiculis alternis, linearibus instruitur; utriusque plantæ fragrans aromatica radix in usu est, quæ datur in substantia, in taleolas



las dissecta, in pulvere ad drach. semis, infuso ad unc. semis, integrain.

USUS MEDICUS hodie vix multus. Plurimi ad ulcera interna uteri, vesicæ, oris, ex HIPPOGRATE, HOFFMANNO, SIM. PAULI, laudant. Prodest etiam, paralyticis, & stimulo aromatico egentibus.

DICTAMNUS ALBUS *Offic. Botanicorum.*

FRAXINELLA. Classis Pauci-stam; *Germ.*

Weisser Dictam. *Gallis* Fraxinelle. *Anglis*  
White Dittany.

Ex hac in officinis solius radicis cortex, licet vires capulæ feminales longe maiores, quam radix promittant: hæ fragrantissimæ balsamo nativo terebinthinaeo turgidae, etiam manus odore non ingrato afficiunt, quod & de caule notum; siquidem æstivis diebus candela plantæ supposita, flammam capit, quæ totam plantam lambat; odor graveolens a vermiculis per microscopium in floribus observatis GEIER: quo experimento! ablatis floribus odor in cortice caulis idem, etiam antequam flos erumpat. Radix recens odorem virosum habet, saporem amarissimum.

VRIES MEDICÆ cardiacæ, antipestilentiales, antihystericæ, anthelminticæ, a multis enixe commendantur.

DICTAMNUS CRETICUS *Offic. Botanicorum.*

ORIGANUM. Classis Naturalis

Ringentium. *Germ.* Cretischer Dictam. *Gallis*

Dictame de Crete. *Anglis* Dittany of Candy.

ORIGANUM foliis tomentosis, spicis nutantibus, definitur botanicis. In usum officinalem sola vocantur folia, iam antiquitati celebria.



VIRES MEDICÆ stimulantes, fragrantes, balsamicæ, mucosæ, lethargicæ, etiam ulceratis utiles; In partu difficiili non satis rationales, in sola debilitate parturientis, dato positu infantis naturali, proficuae. Forma pulveris a scrup. drach. semis ad scrupulos duos, in vino medicato manip. I.

ENULA Off. Botanicorum INULA. Classis Naturalis Compositarum Radiatarum. Germ. Alantwurtz. Gallis L'aunée. Anglis Elecampane.

INULÆ foliis ovatis, subtus tomentosis, calycum squamis ovatis, radix, acris, aromatica, alexiteria, sudorifera, pellens, eximia vi, incidendi glutinosa, & stimulandi solida, in asthmate, fluore albo, morbis ventriculi, cutis, utili gaudet; dicitur etiam valere ad tremorem a mercurialibus relictum, & a calculo præservare infusum aquosum per XIII. dies potum, Commerc. litt. Norimberg. & prunis iniectum pulverem pulices & muscas abigere. In decocto unc. ferris, in pulvere scrupulus, drachma una.

PRÆPARATA. Extractum egregium. Syrupus itidem bonus.

GALANGA MAIOR } MINOR } Offic. Classis Natur. ignoratur. Germ. Galgan. Gallis Galanga. Anglis Galangal.

Radices tuberosæ, nodosæ sunt: est vero galanga maioris radix ignavior, & colore dilutior, minoris fortior, coloratior, odoratior, iam inonente MATHIOLO. Iavanensis in ciborum condimentis instar zingiberis, quo valentior, adhibita, recens etiam acetariis advocata.

VIRES



VIRES MEDICÆ admodum fervidæ, acres, in cruditate ventriculi, morbis pituitosis utiles. An vero sint in singultu, vertigine, specificæ, ut L. prodit? multum dubitari debet; in colica lochiali, in qua idem author laudat, periculosæ sunt. Calidi aromatis recentis dosis, in substantia scrupuli semis, gran. quindecim, in infuso aquoso vel vino drach. trium, unicæ semis.

COMPOSITA. *Species* diagalangæ ad morbos ab inertia inuocosa ortos valent.

GENTIANA *Offic. Botanicorum. Classis Naturalis Pauci-stam. Germ. Enzian. Gallis Gentiane. Anglis Gentian.*

GENTIANÆ corollis rotatis, verticillatis, amarissima radix, bili succedanea, in febribus intermittentibus, horum languore, bilis defectu, inertia, egregiæ efficaciæ. Unicum, & præstantissimum est podagræ remedium, HALLERUS, calculi, LINNAEUS. Est etiam stomachicum, & anthelminticum. Externe decoctum cum melle ulcera, & fistulas depurat, radix cava fistulas ampliat. Forma pulveris, decocti, rario: in hoc scrupulus unus, in illo drachmæ tres. Extracti in catapotia redacti frequentior, gran. duodecim, dosim dein augendo.

HYPERICON *Off. Botanicorum. Classis Naturalis Multi-stam. Germ. S. Johannes-Kräut. Gallis Mill-Pertuis. Anglis St. John's-wort.*

HYPERICON foliis punctatis, obtusis: vim vulnerarium, & anthelminticam specificam habet, LINNAEUS. In dispositione phthisica utiles flores HOFFMANN. de præstantia Remed. Domesticorum.

K 2

HYS.



**HYSSOPUS** *Off. Botanicorum. Classis Naturalis Ringentium. Germ. Isop. Gallis Hissope. Anglis Hyssop.*

**HYSSOPUS spicis secundis** *Botan. herbam nobis largitur, saporis acris, amari, aromatici, stimulantis, odoris finitiss.*

**VIRÉS** aromaticæ stimulantes, incidentes, in pittuitosis pulmonum morbis multum probatæ sunt: in tussi, catarrhis, asthmate utiles: ad libram unam aquæ, unc. semis, unam damus. Externe ad partes contusas fragillatas recentis hyssopi coma, etiam planta cum vino, aceto, contusa valet, tumoribus aquosis fauciūm colluta medetur.

**PRÆPARATA.** *Conserua ex summitatibus floridis egregia. Syrupus compositus, est laudandus tamen. Aqua stillatitia virtutis plantæ.*

**IMPERATORIA** *Off. Botanicorum. SELINUM. Classis Natur. Umbelliferarum. Germ. Meister - Wurtz. Gallis Imperatoire. Anglis Mastor - Wort.*

**SELINUM** *foliis tripartito-divisis, & sub-divisis.* Radix sola officinalis, licet non ignobiles in reliquis plantæ partibus vires sint; discissa folliculos balsamo odorato igneo plenos exhibet; exsiccationem fert, sed brevi cariosa fit. Recens ob acrimoniam etiam purgat.

**VIRÉS** calidissimæ, diureticæ, sudoriferæ, etiam alexipharmacæ, in morbis frigidis ex mucosa humorum diathesi, ut leucophlegmatia, suppressis menstruis, hydrope incipiente, multum incidentes, etiam in paralyssi stimulantes. Sumitur in taleolas dissecta in morbis.



bis ventriculi, in pulvere ad scrupulum unum: ad unciam semis in infuso vinoſo, aut aquoſo. Externe ad tumores colli ſtrumofos, contufa folia, cum ſale & aceto trita, laudantur. Radix in paralyſi linguae ore volvitur, eſt enim apophlegmatiſans.

IUNIPERUS *Offic. Botanicorum. Classis Naturalis Incomplet. Germ. Wachholderſtaud. Galli Genevre. Anglis The Juniper-tree.*

IUNIPERUS *foliis ſeffilibus, patentibus, inter triftes arbores recentiſta PLINIO, dat diversas officinis partes; baccas, quæ balsamorum nativorum terebinthi- naceum quaſi ſaporem habent; lignum, quod ſapore balsamico debili, præditum, accenſum odoratum eſt; fandaracain, ſeu gummi Iuniperi, quæ lacryma resinofa, odoris balsamici, non ingratia, deprehenditur.*

VIRES diureticæ, diſcutientes flatuſ, attenuantes mucofa, in morbiſ ventriculi, pectoriſ, abſque ma- gno calore eximiae; ad hydropein per vias urinariaſ cu- randum arcanum medicamentum habuit HELMON- Tius, ex iuniperi baccis, aqua ſtillatitia iuniperi, addito roob iuniperi, confeſtum, cocheleatim exhibi- tum. Septentrionaliſ populi universalis remedii loco utuntur infuso, etiam in nephritide pituitoſa, ſabulofa, utili, non ſemper tamen in calculo, licet ab hoc præ- ſervet; nam etiam urinam cruentavit, & huius fre- quentior, & maior uſus lethalem diabetem induxit.

*Acad. N. C. Vol. X.*

BACCÆ vel per ſe manducauntur: cum aliis in pul- vere in rediguntur: doſis drach. ſemis: unciæ ſemis, in- tegræ pondere contufæ, infunduntur lib. I. aquæ. *Lignum* accenſum gravem, halitibus infectum aera, lu-



strat: infusum unciæ pondere in aqua calente in scabie, lue venerea, ligno quaiaci, sassafras, exoticis, non cedit: decoctum non insimæ ad expugnandum scorbutum utilitatis HOFFMANN de Balsamis.

**PRÆPARATA.** *Aqua stillatitia actuosa. Spiritus ex baccis validus. Oleum destillatum duplex, ex baccis, & ligno; utrumque forte, externe magis, quam interne exhibitum: licet forma elæosacchari, guttarum duarum, trium numero, dari possit in liquido. Roob, quod etiam Germanorum theriaca dicitur, ob usum diaphoreticum, oleo destillato præfertur in renuim morbis HOFFMANNO, a drach. duabus ad unc. semis, vel per se exhibetur, vel in theato Iuniperi. Sal diureticus in vino iuniperino ad drach. duas, tres solvi potest pro hydropico.*

**LAVENDULA** Off. Botanicorum. Classis Naturalis Ringentium. Germ. Lawendel. Galli Lavande. Anglis Lavender.

**LAVENDULA** foliis lanceolatis integris, spicis nudis. Botanicis definitur planta: etiam ab aliis in latifoliam, & angustifoliam distincta, non adeo utiliter, cum promiscue utramque officinæ usurpent. Habeimus herbam & eius flores. Penetrabile aroma etiam tineas arcet vestibus conceptum.

**VIRES** in morbis pituitosis, & languore frigido, cephalicæ, nervinæ, uterinæ eximiæ: in debilitate senili, languore visus, imminutione auditus, lethargo, artuum tremoribus, paralyfi, præstantes: in aphonia, balbutie, multum laudat RULANDUS infusum. Dosis manip. semis, integer, additis etiam floribus ad pungillos



gillos aliquot. Externe in sacculos nervinos paralyticorum, discutientes recipitur.

PRÆPARATA. *Aqua stillatitia cum, & sine vi-*  
*no egregia. Spiritus lavendulæ laudabilis. Oleum stil-*  
*latitium lavendulæ efficacissimum, in convulsionibus*  
*a vulnera, aut punctura obortis, specificum tam exter-*  
*ne quam interne habetur, BARBETTE.*

*Oleum stillatum Spicæ etiam habetur ex congenere*  
*planta, genuinum & sincerum in nostris officinis ad-*  
*modum rarum, cum semper adulteratum sit etiam aliis*  
*conflatum, ut demonstravit GEOFFROY iunior Acad.*  
*des Sciences 1715: adulterari vero dicit spiritu vini &*  
*Terebinthinæ oleo; & oleum spicæ Terebinthinæ esse*  
*oleum petroleo tinctum contendit ALLEYNE a New.*  
*English. Dispens. Balsamus lavendulæ inunctionibus*  
*etiam utilis. Conserva ex floribus drachmæ unius, vel*  
*duarum mole, vacuo ventriculo assumenda, cuin aqua*  
*stillatitia lavendulæ vitiis senilibus pulchre opitulatur.*

LAURUS Offic. Botanicorum. Classis Naturalis  
 Pauci - stam. Germ. Lorberbaum. Galli Lau-  
 rier. Anglis The Bay Tree.

LAURUS foliis lanceolatis, perennantibus, corol-  
 lis quadrifidis, definita, folia & baccas officinis, culi-  
 nis folia maxime offert. Celebratissima omni antiqui-  
 tati planta, honoris, & lœtitiae signo fuit, nobis ob  
 aroma potissimum laudata.

VIRES. Baccarum foliis magis excalefacientes,  
 & pertinaces, ad roborandas a muco languentes partes,  
 utiles, ut inappetentia, mala digestione, colica, flatu-  
 bus, morbis pallidis virginum, etiam incipiente hydro-  
 pe; in colica lochiali raro tutæ; & ad difflanda vene-



na in initio, ubi hæc adhuc vaga nulli parti infondere, proficua. Tumorem manuum, & pedum subitaneum ab assumptis baccis lauri in chlorotica habet MATERNI de Cilano Acad. N. C. Vol. X. an geometrico iudicio, ab his esse, evictum? Baccarum, & foliorum forma eadem fere, eaque varia. Commodius tamen forma pulveris folia, quam baccæ dantur, quod hæ pinguiores. Dofis ad scrup. semis; in vinis medicatis baccarum contusarum unc. semis, etiam una pro hydropicis.

PRÆPARATA. *Oleum coctum*, tumoribus frigidis inungitur, etiam carminativo scopo clysmatibus additur, ad unciam unam. *Oleum stillatitium unguentis* discutientibus roborantibus, nervinis admiscetur.

COMPOSITA, *Electuarium* de baccis lauri, quo carere possemus. *Emplastrum* de baccis lauri, quod in doloribus colicis, flatulentis, in diarrhoea, quandoque cum levamine abdomini applicatur.

LIMONIORUM recentes cortices, oleum p. 47.

MAIORANA Offic. Botanicor. ORIGANUM.  
Classis Naturalis Ringentium. Germ. Meiran.  
Gallis Mariolaine. Anglis Sweet Marjoram.

ORIGANUM foliis ovatis, obtusis, spicis confertis, compactis, pubescentibus, definitur. Sitne maiorana sampsichus DIOSCORIDIS? nondum finita lis est. Habent officinæ herbam, & præparata.

VIRES in inertis fibra, glutinosis humoribus, & spirituum languore summiæ, stimulantes, incidentes, moventes, cephalicæ, & nervinæ, pertinaciter fragentes sunt; hinc in vertigine, aurium tinnitus, lethargo, paralyssi, artuum tremore, apoplexia, dum mala hæc



hæc senile corpus, aut etiam mediæ ætatis leucophlegmaticum habent, eminent. In morbis catarrholosis frigidis, morbis pectoris glutinosis, cum spirituum languore, inertia, duplice ex capite herba valet; tum quod potenter glutinosum dividit, incidit, tum quod vim nervis infundit, spiritus excitat. Dosis in pulvere gran. triginta; in libra una aquæ, vini, infunduntur herbae drach. tres, quatuor. Externe additur sacculis cephalicis, cordialibus, adhibetur balneis antiparalyticis. Pulvis, aqua stillatitia, aut etiam infusum, naribus attracta, errhina sunt.

**P RÆPARAT'A.** *Conserua, aqua stillatitia, oleum destillatum, iisdem in casibus actuosa medicamenta sunt. Oleum interne elæosacchari forma datur, externe in unguentis antiparalyticis adhibetur: peculiare hoc habet, quod rectificatum in corpus salinum concrescat. Oleum cōsum inutile. Balsamus maioranæ externo usui dicatus est.*

**MARUM VERUM Off. Botanicor. TEUCRIUM.** Classis Natur. Ringentium. *Germ.* Edel-maioran. *Gallis Marum. Anglis Syrian Mastich. Thyme.*

**T E U C R I U M** definitur *foliis lanceolatis, integerimis, floribus solitariis, laxè spicatis, quod vulgo marum CORTUSIB.* Rarum satis, feles hac planta allici, hanc salutare, mordere, quandoque manducare, unde temulentæ furentes sint. Ex officinis herba, odoris fragrantissimi, acutissimi.

**V I R E S** maioranæ, vehementiores tamen, in iisdem casibus laudatæ, adhuc in hydrope, asthmate specificæ LINNAEÆ habentur. Pulverem ut insigne errhīnum



extollit QUINCY, & ex foliis sal volatile oleosum  
cephalicum præstantissimum paravit.

MASTICHINA. Marum Mastich. *Offic.*  
*Botanicorum* THYMUS. *Classis Naturalis*  
Ringentium. *Germ.* Mastichkraut. *Anglis.*  
Mastich.

THYMUS *verticillis lanuginosus, dentibus calyci-*  
*nis setaceis, pilosis, cognoscitur;* non omnibus tamen  
officinis habetur, quod marum verum huic vulgari  
præferant.

VRIES aromaticæ fragrantes, nervinæ egregiæ,  
sed maiorana, & maro vero mitiores, non ideo tamen  
spernendæ, specificæ non notæ.

MENTHA *Offic. Botanicorum. Classis Natur.*  
Ringentium. *Germ.* Müntzbalsam. *Gallis*  
*Mente.* *Anglis Mint.*

Plures MENTHAE species hinc inde officinis in-  
sunt: omnes facile superat mentha *crispa*, exiguo  
epitheto ab aliis satis distincta. De mentharum tem-  
peramento ex DIOSCORIDE, qui calefaciens, ex  
PLINIO, qui vulnera extinguens, pronunciarunt,  
inutiliter aliqui disputant; ex fabula PLINIUS dixit.

VRIES calefacentes, stomachicæ, carminativæ,  
uterinæ in causis frigidis certæ, vomitum, singultum,  
mirum in modum compescunt, tussi etiam convulsivæ,  
obveniunt: etiam vulneraria, balsamica mentha  
est. In pulvere ad drach. semis datur, in infuso ad  
unciam semis, integrum, Externe discutiente, & ro-  
boran-



borante scopo in aquosis defluxionibus, antiseptico in contusionibus, chirurgis multum utile quassum recentis plantæ folium.

PRÆPARATA. *Conserua* egregiæ virtutis. *Aqua*e stillatitiae cum vino, sine vino, etiam per fermentationem paratae, non ignobiles. *Essentia* menthæ efficax. *Syrupus* utilis; *Oleum* essentiale calidum, multum fragrans, stomacho utile. Totius menthæ medicina in vomitu, singultu, cholera, adiecto laudano commoda, & felix, si inflammatio absit. Est adhuc *balsamus* menthæ.

NUX MOSCHATA, MYRISTICA. *Off.*

*Botanicorum.* Classis Naturalis ignota. *Germ.* Moschatt-Nus. *Gallis* Muscade. *Anglis* Nutmegs.

NUX MOSCHATA tam culinis, quam officinis notissima, ut & medius huius nucis cortex, Macis. Ut ad nos transportentur, præparantur diversimode. Quæ nuces rotundæ sunt, ponderosæ, optimæ; deterrimæ oblongæ, quadratæ, saporis ingratii, odoris vix ullius.

VIRES in recentibus narcoticæ, stupefacentes, plurimis observatae, certæ; caro homines corripi, & jacere mutos, etiam improviso usu stuporem, & levem apoplexiæ induci BONTIUS, temulentas ab harum usu concidere aves THEVENOTUS, gravidam, recentium esu capite tentatam, & ebriam, LOBELIUS, habent. Puella plusculum macis ad movendos menses assumens, delirio per aliquot horas tentata est, apud FR. HOFFMANNUM. Cæterum in laxis vires stomachicæ, anticolicæ, excalefacentes, etiam emine-

nagq.



nagogæ, ex oleo copioso pertinaces, in paralyſi ſtimulantes. Dofis & nucis moſchatæ, & macis eadem ferre a granis quinque ad decem, forma pulveris; in infuſi vinoſi libra una ad drachmas duas recipi, & ultra potest.

PRÆPARATA. Nux recens in Indiis *condita* per ſe exhibenda, ſcrup. drach. ſemis pondere, etiam aliis formis immiſcenda maiori. *Oleum deſtillatum* nucis moſchatæ, odoratum, pretiosum, carminans ſtomachicum, ſed multum calidum, externe etiam balsamis, unguentis nervinis adhibitum. *Oleum nucis preſſum* per ſe vix multum odorum, ſpiritu tamen reſtore olei eſſentialis aliquatenus inficitur instar butyri confiſtens, non facile ranceſcens, balsamorum baſis, morbis externis frigidis articulorum perſanandis, liuſ utile, etiam interne in vomitionibus, diarrhoeis, aliis additum, vel forma elæoſacchari uſurpatum. *Eſſentia* macis egregia. *Oleum deſtillatum* macis eiusdem ac nucis uſus.

PIMPINELLA ALBA. *Offic. Botanicorum.*

Classis Naturalis Umbelliferarum. *Germ.* Bi-bernel. *Gallis* Pimprenelle blanche. *Anglis* White Saxifrage.

PIMPINELL A foliolis ſubrotundis; calida, acris, in Germania a STAHLII affeclis multum laudata in morbis pituitosis, ventriculi, pulmonis, febribus intermittentibus. Dofis pulv. a graniſ ſex, ad octo. Etiam masticata ſialagoga eſt. *Eſſentiam* ſtimulanten ad mercurium e corpore eliminandum laudat SCHULZ. *Dispensat.* Brandenburgico.

PULE-



PULEGIUM *Offic.* *Botanicorum*, nonnul-  
lorum *Mentha*. *Classis Naturalis Ringentium*.  
*Germ.* *Herzpoley*. *Gallis Pouliot*. *Anglis*  
*Penny - royal*.

PULEGIUM *foliis subrotundis, verticillis nu-*  
*dis, HALL.* ut olim, ita etiam hodie, inter condi-  
menta relatum in culinis, herbam suam largitur of-  
ficinis.

VRIES acriter stimulantes languidas fibras, po-  
tenter incidentes mucosos humores, omnes tribuunt;  
etiam ab his causis emmenagogas, pectorales laudant,  
in asthmate, tussi, utiles, dum infusum cum melle  
potatur. Dosis unc. semiis infundenda libr. uni aquæ  
calidæ, addendo mellis, vel oxymellis squillitici unc.  
1. In hunc usum etiam pulegium cum hyssopo certat.

PRÆPARATA. *Aqua* stillatitia, egregia. *Extra-*  
*ctum* non adeo laudabile, licet non inefficax. *Oleum*  
*stillatum* validum.

RUTA *Off.* *Botanicorum*. *Classis Pauci-stain*  
*Germ.* *Weinraute*. *Gallis Rue*. *Anglis Gar-*  
*den-Rue*.

RUTA *foliis decompositis*; est proprie hortensis  
latifolia, dum ruta foliis incisis, lobulis linearibus,  
acutis, est sylvestris.

Veteribus modo ruta, in modo peganum, modo har-  
mala dicta est, magnæ, & adversus fascinum, & ve-  
nena laudis. Sic inustum rutatum comitiis peractis a  
CORNELIO CETHEGO datum populo PLINIUS;  
HERACLEOTAS esu rute a CLEARCHO tyranno  
sibi



sibi cavisse THÉOPOMPUS CHIUS; nec ignoratur Regis Ponti antidotum. Odorem penetrabilissimum, ingratum, graveolentem, planta habet, saporem ingratum, cum amaritie, subacidum: sanguinem dilutiorem fluidiorem facit, SCHWENCKE, & contusa externe applicata rubefacit.

VIRES, vago in sanguine subtili miasmate, nec adhuc parti infixo, antipestilentiales proficuae, in passione hysterica, epilepsia, multæ. Scopo sudorifero emmenagogi, felices. Familiare est infusum vinosum aut aquosum. Dosis manip. semis ad libram unam liquidi. Externe contusa cum sale recens planta, addito vino, aceto, ad contusas, & emortuas partes, tum quod putredinem cohibeat, solida exstimulet, extravasatum sanguinem fluidiorem reddat, non satis laudandum cataplasma constituit. Est etiam rubefaciens sanis partibus applicata, hinc vel sola, vel fermento panis mista, contusa, in convulsionibus, locis subpopliteis applicatur. Ruta in vino rhenano infusa addito marino sale utiliter soveri pedes illorum, qui a podagra non revertente alia mala metuunt van SWIETEN perhibet.

PRÆPARATA. *Conserva*, laudabile medicamentum drach. semis, unius pondere exhiberi potest. *Aqua stillatitia*, *Effentia rutæ*, pulcherrimarum viuum. *Acetum* rutaceum magnum diaphoreticum. *Oleum* stillatitium efficacissimum, *infusum* vix non inutile.

SABINA Off. Botanicorum IUNIPERUS.  
Classis Naturalis Incompletar. Germ. Seven-  
baum. Galli Sabine. Anglis Savine.

IUNIPERUS foliis inferne adnatis, oppositioni-  
bus concatenatis; hæc planta botanicis vocatur. Cæ-  
terum



terum etiam folio cupressi, & odore gravi, facile cognoscitur, perpetuo virens, fruticosa planta. Magnarum virium sabina, quid singulare habet, & inter aromatica vix ulla alia est, quoꝝ tantam olei essentialis quantitatem largiatur. Ex libra una olei stillatitii unc. tres HOFFMANN. L. B. VAN SWIETEN, uncias duas cum semisse CARTHEUSERUS. Sanguinem etiam fluidiorem, & magis rubicundum reddit, SCHWENCKE.

VIRÉS MÉDICAÆ, ex ingenti olei essentialis copia, moventes, uterinæ, emmenagogæ specificæ, omnibus notæ, sed in causis frigidis tantum utiles; Sabina scelestæ conceptus tentant mulieres, vix unquam tuto, plerumque oborto sanguinis profluvio, lethali usu; non minus improbo, partum difficilem, tentas secundinas hac aggreditur, consilio medicus. Periculosa medicina est. In paralysi, ubi languidae extimulandæ partes, motus per collapsa, & obstructa vasa minima adaugendus, impactum solvendum, plurimum utilis: Dosis in diversis casibus varia: In infuso, vel etiam decocto pugilli unius, alteriusve pondere ad libram unam liquidi, etiam manip. feminis. Externe in suffumigia, balnea, adhibetur.

PRÆPARATA. *Aqua stillatitia efficax, Oleum stillatitium interno, & externo usu validum in paralyticis. Extratum magnarum adhuc virium, licet multas in operatione perdat.*

SALVIA Off. Botanicorum. Classis Naturalis Ringentium. Germ. Salbey. Galli Sauge. Anglis Sage.

SALVIA foliis oblongis, retorridis, calycibus acutis tubo minoribus. Sacra veteribus habita, multis,

ex



ex fabula forte vituperata est. Sanguini pulcherrimum colorem rutilantem conciliat, SCHWENCKE; decotum cum vitriolo martis atramentum facit; adhæc camphoram largitur.

VIRES aromaticas nervinas ex penetrabili aromate magnas habet, inde diaphoretica, discutiens, ex-acuandis sensibus languidis, & confortandæ memoriae dicata, & quia simul roborantes, tonicas possidet, ideo tremori senili, paralysi, fluori albo, & in casu frequentis ex laxitate abortus, plurimum utilis, nec in hydrope spernenda. Testatur *Illustr. L. B. van SWIETEN*, quod ad sudores nocturnos, post morbos ex solidorum laxitate ortos, salvia spiritu vini infusa, vel alio modo administrata, nihil invenerit efficacius. Dosis, uncia una libræ uni liquidi infunditur. Coctione maior vis roborans, minor aromatica habetur, influxu seroso mammarum etiam post ablactationem permanente & emaciante, salviae forte infusum omni trihorio ad uncias duas datum, ultimum remedium invenit *Illustr. van SWIETEN*. Externe ad robورandas partes laxas, salvia, cum baccis lauri, iuniperi, multum utuntur. Vetula apud FORESTUM curavit cancrum salvia masticata apposita.

PRÆPARATA. *Aqua stillatitia*, si cohobata, camphoram Asiaticam redolet, efficax. *Spiritus egri-giarum virium*. *Oleum essentiale* parca manu stillatium, aquæ innatans, virtutis plantæ difissimum. *Con-servata* ex floribus, senibus utilis.

#### SERPILLUM Offic. Botanicor. THYMUS.

Classis Natur. Ringentium. Germ. Wilder Thymian. Gallis Serpolet. Anglis Mother of Time.

THYMUS verticillis in summis ramis congestis, foliis ovalibus, basi ciliatis, flore minore. HALL. Tum



Tum officinis, tum culinis, sua folia largitur, penetrabilissimum aroma habet, cum congeneribus, viribus corporis viventis indomitum, etiam sanguinem, & carnes inficiens, & suaviores reddens. Mel etiam has plantas sapit ex his confectum.

VIRÆ calidæ, stimulantes, attenuantes, a sequenti sola flpticitate distinctæ, ut serpilli tonicæ magis, thymi magis odoratæ. Infunditur in libra una liquidi ad unciam semis. Externe etiam in fomentis, balneis nervinis adhibetur..

PRÆPARATA. *Aqua stillatitia* balbutientibus pueris proficia. *Spiritus* multum stimulans, in linguae paralysi utilis; *oleum* stillatitium.

THYMUS *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Ringentium. *Germ.* Thymian. *Gallis* Thyin. *Anglis* Thyme.

THYMUS *erectus*, foliis ovatis, reflexis, floribus verticillato-speciatis L. tum officinis, tum culinis, suas largitur divitias, fragrantes, aromaticas. Ex hoc certa encheiresi camphora elici potest.

USUS calidæ plantæ, ubi incidendum mucosum, ut in pectoris morbis, egregius, tum nervinus, emmenagogus, similis serpillo.

PRÆPARATA. *Oleum* essentiale thymi, quod tantæ est acrimonie, ut non solum ominia olea essentia Europaæ superet, sed etiam Americana æquet.

Cranz. M.M. T.I.

L

ZIN-



ZINGIBER Offic. BOERH. Classis Naturalis  
Palmarum. Germ. Imber. Galli Gingem-  
bre. Anglis Zinger.

ZINGIBER *scapo nudo; spica ovata.* Iam veteribus cognitæ, quæ officinales sunt radices, etiam illis, ut nobis, condiebantur, hac diversitate, ut olim muria, hodie saccharo serventur; saporis sunt acerrimi, fervidi piperini, aromatici, discissæ odoris fragrantissimi. Habemus radicem zingiberis communis, intus nigricantem, aliam zingiberis albi, albam longe fervidorem, etiam culinarem.

VIRÈS fervidæ, admodum acres. Conditarum radicum clementiores, siccaram pertinaciores: in exsolutione fibrarum ventriculi, intestinalium, in languore pituitoso & harum, & aliarum partium, in morbis pallidis virginum, fluore albo, lethargo, hydrope, non sperniendæ. Siccata radix rarius in pulvere datur ob nimiam acrimoniam, cum aliis dosis est gran. decem, duodecim; vinis in medicatis ad unc. semis adjicitur. Condita ad drach. semis, integrum exhibetur.



STIMU-

## STIMULANTIA.

## GUMMI - RESINÆ.

Succus vegetabilis concretus, igne vix ardens, aqua solubilis GUMMI: Succus vero vegetabilis concretus, igne continuo flagrans, spiritu vini solubilis RESINA: & quod ex utroque conflatur corpus, siquidem & in utroque menstruo solvatur GUMMI-RESINA vulgo definitur. Quantumcunque vero haec notiones iam dudum apud multos receptæ sint, ne ideo aut evidenteriores, aut veriores ipsa ætas efficit; dum et igne accenditur, & spiritu vini Gummi solvitur: & Resina etiam in aqua soluta visitur.

Primum est in experimento admoti ad flammam Gummi arabici, quod etiamsi inflammatum pelluciditatem amittat, cum Resina maiorem non acquirat, & inflammata opaca magis fiat, discrimin in pellucideitate quæsitum valde imbecillum est, sed nonne etiam verum in Ammoniaco Gummi inflammam ardet?

Posteriora sunt in tentamine extractionis partium Aloes, aut Gummi resinosi alterius corporis arguienta; dum enim sumerentur pulveratae Aloes hepaticæ HERM. unciae duæ, una aquæ altera spiritui vini rectificato immitteretur, deprehensum est unciam Aloes aquæ infusam, digestam, totam pœne solutam fuisse exceptis fœcibus & granis resinæ circiter quadraginta *Pharmacien Moderne experiment 1 de Aloe & 2 Calculo;* unciam vero alteram alcohole maceratam in integrum exceptis fœcibus solutam *experiment. 2. EIUS-*

L 2

DEM,



**I**DEM, ut perspicuum inconcussumque sit, id quod resinosum non est in Aloe et in aqua sola solubile, licet maxima pars sit huius corporis æque bene in alcoholo solvi totum, ac quidem id, quod vere resinosum est, & in alcoholo solum, non in aqua solubile sit, licet minima pars sit eiusdem.

Et hæc quidem probatio non in sola Aloe consistit, sed etiam per omnia Gummi resinosa corpora extenditur, & iam a longo tempore perspexere Germani, tum Chemici, tum Pharmacopæi, menstruum primo loco adhibitum, Alcohol aut aqua fuerit, posteriori advocate semper ditius esse, & ipsa gummea extracta solutioni in spiritu vini obedire, infusa vehiculo aquoso facta plurima, licet pellucida, magnam resinæ vim solutam sustinere, & extracta aquosa eandem possidere; ut omnino laxe nimis omne id gummi dicatur, quod ex succo concreto in aqua solvitur, aut resina quod in spiritu vini.

Et nunc certum est solius ætheris interventu; etiam ex plantis inodoris, Parietaria, Mercuriali, Viola, Carduo benedicto, & aliis, resinam extrahi, quæ spiritu vini non obtineatur **B A U M E** *Elementa de Pharmacie*: itidem eiusdem ætheris adminiculo ex impura Ialappæ resina minorem eius quantitatem extrahi, dum spiritus vini auxilio maior semper obtinetur, dum tamen purissimas resinas æther plus, quam spiritus vini solvit, **I D E M**; adde, neque id resinosum esse, quod vel Crocus & Cochinella in spiritum vini dimitit, dum ex his tintaræ sunt, aut quod ex oleo presso olivarum, amygdalarum in spiritu vini solvitur, dum hæc commiscentur, etenim aliquid semper solvi in experimentis suis ad invenit industrius **Vir MEYERS** *im Chemischen Versuch des ungelöschten Kalths. Hannover 1764.*

Nec



Nec sane hic usque demonstratum est, aut unam eandemque esse Guumatibus, aut resinis naturam, quin in diversis subiectis ratione diversæ proportionis principiorum contrarium luculententer patescat: simplicissimum Gummi, & hoc nomine proprie insigniendum ex plantis minime aromaticis rupto cortice stillans Gummi Cerasorum, Gummi Arabicum, ipsum gustu insulsum est, in aqua solutum, hanc viscidorem, & spissiorem facit, desillatione acidum, & exiguum olei quantitatem largitur: quod vero ex plantis aromaticis, vel inciso de industria vel casu rupto cortice stillat iam resinæ comixtum, & nuptum Gummi ammoniacum, id sapidum, & aromaticum, in aqua lactescit emulsum, in analysi maiorem olei, & acidi quantitatem suppeditat. Resina contra vix non tota oleosa & acida, verus est balsamus inspissatus, ut igitur differentia, quæ inter hæcce corpora intercedit, patescat: in gummi enim mucilagine, inflammabilis oleosa substantia acido subtili remixta, adeo mucilagine plantarum saponacea contemperata subactaque esse videtur, ut oleum haud amplius, & nonnisi in ultima analysi sistatur; in gummi oleaginoso vero corpore oleum illud spiritu rectore dives saponis mucilaginosi quantitate longe excedat, hinc etiam statim in experimento offeratur, & in puro resinoso corpore maxima quantitas olei, & quidem ætherei plerunque maxima, pariter acidi minima, mucilaginis observetur: & hæc quidem omnnia etiam artificialis horum corporum confectio monstrat.

I. Cuiuscunque vegetabilis mucilago ad ignem lente inspissata gummi exhibit *Pharm. modern. Exper. I.*

II. hoc gummi mollius Terebinthina vulgaris adiecta subactum induratum, gummi oleaginosum. IDEM.  
*Exper. II.*

L 3

III. quin



III. quin & solutio gummi arabiei inspissata denuo aliquantulum, rite cum Terebinthina mixta exsiccata gummi oleaginosa. *Exper. IV.*

IV. et adhuc amygdalinum mucilagini gummi arabici incorporatum, Gummi oleaginosi phænomena exhibit, addita enim aqua emulsionem constituit. *I D E M. Exper. V. & alii in aliis.*

Resinam vegetabilem hucusque nemo produxit per syncrisin, & per diacrisin ex Terebinthina vulgari obtinetur, & hæc eo potissimum consilio diffusius a me proposita sunt, ut intelligeretur, quibus quæquam menstruis felicius extrahi possint, aut formis commodioribus exhiberi debeant, in quam rem multi graviter peccant, dum corporis, quod referare volunt, naturam destrunt: mucilaginis gummi arabici interventu olea pressa balsama, & alia corpora plura, Benzoinum, Myrrha, Styrax, Camphora, Moschus, sperma ceti in aqua suspensa tenentur, & soluta Experimentis BOGLE FRENCH. *Medical observations and inquiries* T. I. p. 412. sequent. &c. nec opus est spirituoso menstruo.

Gummi-oleaginosa corpora. quæ & gummi resinosa alii vocant plurima, aqua simplici sola, vel etiam menstruo leviter spirituoso, ut dum aquæ spiritum vini addis, actuata felicius longe referantur, quam aliis tædiosis artibus: lac myrrhatum omni Myrrhæ tinctura spirituosa efficacius est in experimento; & inconceptibile est, quare salis tartari interventu, & hæc resinosa pura tentarint plurimi; si enim absque acido resina nulla sit, & resinæ vis in tinctura queritur, ad quid tartari sale acidum resinæ perditur, & ipsa resina invertitur? ad quid tot evaporationes, exsiccationes, non exiguum spiritus rectoris vim perdentes? ita malo consilio Tinctura Myrrhæ spirituosa paratur.

AM-



AMMONIACUM GUMMI Off. Botan. Clas-  
sis ignoratur. Germ. Gummi Ammoniac. Gallis  
Gomme Ammoniac. Anglis Gum-Ammoniacum.

Quod iuxta Hammonis templum in aridis Lybiæ are-  
nis colligeretur, ammoniacum dictum, iam veteribus  
in sincerum, thrausma, & minus probum, phryama,  
distinctum fuit; utrumque adhuc nostræ officinæ ha-  
bent. Probatur sordium expers, splendens, candidum  
thuri similitudine. Suceus odoris fragrantis, galbano  
virosioris, saporis dulcis, dein amaricantis, mire aro-  
matici, pertinacis, acris, carbonibus iniecis in flam-  
mam ardet. Aceto, & aquâ calida solvitur. totus, sa-  
liva diluitur. Incredibile est, quantum fragantiæ per-  
dat, dum depuratur in officinis.

VIRES MEDICÆ. Anhelatoribus, orthopnoï-  
cis, comitialibus, laudat DIOSCORIDES; item, qui-  
bus humor in pectore coit, si cum melle delingatur,  
aut cum ptisanæ succo sorbeatur. Asthamati specifice  
obvenit, iuvat multum hypochondriacos, & hystericas.  
Forma commodissima est pilularis, dosis gran. decem  
omni quadrihorio: vitello ovi soluti drach. semis cum  
aqua stillatitia, & syrupo pro haustu. Externe sum-  
mum resolvens, indurationi glandulofæ, etiam articu-  
lari tumorí conveniens; in aliis etiam magnum emol-  
liens, maturans, prout diversis iungitur: priori in ca-  
su vitello ovorum, aceto scilliticò solutum, posteriori  
melle, aliis subactum applicatur. Unguentis, empla-  
stris frequenter commiscetur.

ASA FOETIDA Off. Botanicae. FERULA.  
Classis Natur. Umbelliferarum. Germ. Teufels-  
drek. Gallis Assa foetida. Anglis Devel's-dung.

FERULA foliolis alternatis sinuatis, obtusis, L.  
gummi-resinam Persicam, quam asam foetidam offici-



næ vocant, ex incisa radice stillat. Est hæc lacryma candida, pinguis, cremori lactis in initio similis, ad aeris vero, ut & solis contactum coit, lentescit, fit consistens, subfuscata, pinguis, variis grumis splendentibus, albis, flavis intercurrentibus variegata. Recentis fœtor vehementissimus, ut drachma una centum libras vetustioris superet, KAEMPFERUS; saporem allii habet, sed hoc ingratiorem, calidum, amarum penetrantem. Quis crederet æneum esse Persis guttur, & condimenti loco adhiberi! salivam lacteo colore inficit, licet in hac tota non solvatur. Loca suo fætore plurima adimplet, & in pondere non minuitur, BOYLEUS. Phosphorus hic naturalis, ut opium, agit, absque eo, ut huius incommoda habeat, CHEYNE *Biblioth. Britan.* T. III. Anno 1734. etiam transpirationem auget. IDEM,

VIRES præcedentibus stimulantiores, & in compescendis spirituum animalium irregularibus motibus potentiores, in phlegmaticis, quibus solum convenit. Dosis non, sed forma præcedentium, eadem, pilularis: datur ad grana quatuor, sex, octo. In paralysi, ubi stimulandum, artificialis etiam febris inducenda, scrupuli unius, imo drachmæ semis pondere exhibetur; ut interno, ita externo usu plurimum utilis: inde fiunt pomata, noduli, antihysterica, suffumigia uterina, emplastra. Vis antihysterica eximia iam HOFFMANNO. L. B. van SWIETEN probata, ut specifica antidota vermis laudata, *Acta Phys. Med. Vol. IX. gr. V.* bister de die dosi.

BDELLIUM *Off. Botan.* Classis Natur. ignoratur. *Germ.* Bdellium. *Gallis* Bdellium. *Anglis* Gum Bdellium.

Massa coloris ex fusco rubentis, utcunque pellucida, odoris vix validi, non ingrati tamen, minimo calore dulcis,



ctilis, saporis in initio vix multi, dein subtilissimi, amaricantis, acris, sub hoc nomine habetur. Probatur fôrdis expers, translucidum, suffitū odoratum.

VIRÉS MEDICÆ calefacentes, emollientes, discutientes, omni puncto ammoniaco inferiores, cuius caliditatem, amaritatem, facilem solubilitatem non habet; sœpe tamen aliis iungitur. Dosis prioris eadem, etiam maior.

GALBANUM GUMMI *Offic. Botanicorum*  
FERULA. BUBON L. Classis Naturalis  
Umbelliferarum. *Germ.* Mutter-Hartz. *Gal-*  
*lis* Galbanum. *Anglis* Gum Galbanum.

BUBON foliis rhomboideis, serratis, glabris, umbellis paucis, definit LINNÆUS plantam, quæ gummi-resinam in Æthiopia largitur. Massa est, granulis tum albicantibus pellucidis, tum flavescentibus, etiam rufis variegata, lentescens, digitis calentibus ductilis, saporis amaricantis, subacris, proprii, odoris miri, medicati, penetrabilissimi, ammoniaco intensioris. Spiritu vini solvitur, etiam in aquosis diluitur, & pro parte solvitur; igne accenditur. Multum impurum etiam depuratur, cum deperditione aromatis. Methodus DIOSCORIDI præscripta inculcanda pharmacopæis.

VIRÉS calefacentes, resolventes, discutientes, omnibus notæ, ad suppressos menses restituendos, album fluorem percurandum, & obstrunctiones tollendas, utiles. Vires odoratæ, subtile, penetrantissimæ, ubi perturbatus spirituum motus corpus exagitat, ut in passione hysterica, tum aliis, ab eadem excitatis

L 5 mor-



morbis convulsivis, etiam epilepsia, admodum proficiunt. Forma, & dosis præcedentium. Externe etiam in eadem indicatione umbilico, forma emplastri, pulvere castorei insperso, applicatur, tum potenter incidit, emollit, maturat: etiam ad resolvendos bubones, & anthraeas adhibetur.

GUMMI LACCA *Offic.* Classis Natur. ignota  
*Germ.* Lacca. *Gallis* Lacque.

Mirum corpus! gummi non est, licet vulgo sic vocetur; quia in aqua non solvitur, NEUMANN. At nec cera est, ut contendit NEUMANN, quod oleis non pateat, LEMERY *Acad. des Sciences* 1710. quod vitreæ duritiei sit, BOERHAAVE. Sed neque resina est, LEMERY. *ibid.* at mixta inter gummi, & resinam media substantia, IDEM.

A formicis volantibus Indiæ ex arboribus colligitur, GEOFFROY. *Acad. des Sciences* 1714. cum & formicarum crysalides in hac inveniantur, GEOFFROY, *Illustr. L. B. van SWIETEN*, in experimentis; accensa odorem gratum, dein fætidum, animalis substantiæ spargat, GEOFFROY, NEUMANN. A chrysalidum exuviis rubris laccae color, GEOFFROY.

Gummi lacca duplex est. In granulis deterior, tota, infecto orba, in ramulis optima, subainara, adstringens, salivam colore purpureo tingens. Varias laccae solutiones tentavit LEMERY *Acad. des Sciences* 1710. Oleum olivarum parum, oleum terebinthinae, spiritus vini, leniter tingebantur. Aqua aluminoſa ad satietatem imprægnabatur, & acida debilia multum, fortiora fossilia parum, mutabantur, oleum tar-



tartari efficaciam satis magnam in laccam habuit, *ibidem*, ut etiam nunc Tincturæ cum alcali factæ efficacia patescat.

U S U S M E D I C U S simplicis vix ullus; tincturæ cum alumine factæ, in laxis ulceribus, scorbuticis, gingivarum laxitate, multus, & egregius; Tincturæ spirituosa, in arthritide, rheumatismo, hydrope, scorbuto lento, gutt. quadraginta, bis, ter die dosi, B O E R H A A V E laudatus.

MYRRHA *Offic. Botanicorum. Classis desideratur. Germ. Myrrhe. Gallis Myrrhe. Anglis Myrrh.*

Sitne myrrha nostra myrrha veterum, nondum definitum est. Raram olim fuisse, multiplicem, etiam adulterata opocarpo, succo venenato, strangulante, G A L E N U S reliquit. Nostra glebis figuræ irregularis, variæ etiam magnitudinis, asperis, subpellucidis, coloris flavi, rufi, aut etiam ferruginei, odoris grati, saporis amari, subacris, balsamici, deprehenditur, saepe etiam admixtione aliorum vitiata. Solvit tota fere in saliva, cui etiam suas divitias largitur, ita tamen, ut non perfecte referetur, nec in aquofis, nec in spiritu vini, nec oleaginofis, quod triplici constet principio, guminoso pro maxima parte, dein resinoso satis parco, tum oleoso; hinc flammam etiam myrrha concipit.

V I R E S in glutinoſo ſpontaneo, in inertis fibra eximiæ: unde laudavere in morbis ventriculi, intenorū, uteri, frigidis, laxis, quibus non immerito dicata myrrha eſt. Vis balsamica, & antiputredinosa,

iam



iam veteribus cognita Aegyptiis, hodie pariter celebratissima est, in gangrena, putridis ulceribus proficia. Interne raro in pulvere exhiberi solet, ob insignem amaritatem, tamen datur cum saccharo cando, et omni quadrihorio grana novem exhiberi possunt. Lac seu emulsum myrrhatum aqua aut vino factum, eius tinctura efficacius, etiam interne dari potest, sed forma pilularis aptior est.

Externus pulvis usitator, ulceribus, ossibus cariosis inspergitur, etiam suffumigio utilis. Cæterum & in decoctis, emplastris, unguentis, applicatur.

PRÆPARATA. *Tinctura myrrhæ BOERHAAVE* optima, officinarum, quæ *essentia* vocatur, haud adeo sedule præparata, in casibus recensitis a guttis quindecim, viginti, triginta, interno usu utilis: externe in ulceribus sinuosis sæpe, tamen non semper, tum ob salem alcalinum, tum ob spiritum, corrugantem partes solidas, proficia; quibus rebus pro renata prior, aut alia sine sale alcalino facta, aut vino-fa, aquosa, chirurgis in usu esse debet. *Oleum destillatum* in chronicis pectoris vitiis, tussi inveterata, asthmate humido, magnæ laudis, forma elæosacchari sumptum, etiam resciens, & recreans, miasma arcens, teste FR. HOFFMANNO. *Oleum myrrhæ per deliquium*, rectius liquamen myrrhæ ab alcohole ob albumen coagulandum fissuris labiorum, papillarum in maininis, excoriationibus aliis, etiam ulceribus medetur, cum balsamo peruviano, vitello ovorum, in limentum coactum, sed semper præstat extemporaneo experimento confectionum, cum adultum etiam corrum-patur.

COM-



tactum lentescit, odoris gravis, viroſi, alliati compoſiti, ſaporis amari, acris, mordacis; flammam concipit; aqua, vino, aceto coctum ſolvitur. Gummi- resina eſt pertinaciſ ſtimuli, ſub exigua mole copio- fiffimi, depuratione enervandi.

VIRES eminenagogas ſpecificas L. habet; in morbis mucofis pulmonum, in obſtructionibus viſce- rum abdominalium egregias, ALII. In ſpirituum ataxia, nervorum morbis, ſpasmo, tremore, paralyſi, palmam galbano præripere videtur, acrius, pertinacius, viroſius, ex allio, aſa foetida, galbano, quaſi compo- ſitum medicamentum. Dofis, & forma præcedentium eadem. Externus pariter idem, ac præcedentium uſus,

THUS, ſeu OLIBANUM Offic. Botanico- rum IUNIPERUS. Classis Naturalis In- completar. Germ. Weyrauch. Gallis En- cens. Anglis White Frankincenſe.

IUNIPERUS foliis undique imbricatis, ovatis, obtuſis, definitur arbor, quæ olibanum, vel thus muſcu- lum, lacrymam gumini - resinosam, flavescentem, ama- ram largitur. Gumini oleaginous olibanum noſtrum dici debere contendit *Le pharmacien Moderne traduit de L'Anglois*. Paris 1750.

USUS MEDICUS vulnerarius in ulceribus, ſiccans, roborans in catarrhoſis defluxionibus; doſis ſcrup. unus, duo, bis ter de die. Externe ſuſſimigiiſ additur, etiam aliis.

RESI-



C O M P O S I T A multa sunt. *Elixir proprietatis. &c.*

OPOPANAX. *Offic. Botanicor.* SELINUM  
PASTINACA L. Classis Naturalis Umbel-  
liferarum. *Germ.* Heilwurtz Gumini. *Gallis*  
Opopanax. *Anglis* Guia Opopanax.

PASTINACA *foliis decomposito - pinnatis.* Plantam Italiæ, Siciliæ, hanc gumini-resinam fundenteum, ita definit L. licet non videatur immutandum nomen DIOSCORIDIS fuisse, qui panacem vocavit heracleum, & succum exakte descripsit. Lacryma pisi magnitudinis, in summa cute rufum, vel croceum colorem, interne album, aut subflavum habet, pinguis est, fragilis tamen, odoris gravis, saporis amari, salivam lacteo colore inficiens. In saliva solvitur, in aqua & solvitur; & deliquescit, & hanc turbat; flammam etiam concipit; ut partim gumineo, partim oleoso, & resinoso principio constet. Mala encheiresi depuratur.

VIRÈS ad incidenda viscida, stimulanda languida solida; compescendum inordinatum spirituum motuin, forma pilulari cum gumini ammoniaco, vel galbano, non inefficaces. Externe ut præcedentia, emollit, discutit, resolvit, ulcera mundat, firmit, & his carnem superducit.

SAGAPENUM *Offic. Botanicorum.* Classis de-  
sideratur. *Germ.* Serapin-Saft. *Gallis* Saga-  
pnum. *Anglis* Sagapenum.

SAGAPENUM colorem habet fuscum, multis parvis granis, albi & flavi coloris, variegatum; at tactum



## RESINÆ.

Olea essentialia difflata liquidiori parte magis consistentia *Balsami*, concreta iam & solidiora RESINÆ dicuntur. Resinæ a gummatibus differunt:

- I. Inflammabilitate.
- II. Indissolubilitate in aqua, si pura fuerint.
- III. Faciliori in spiritu vini solubilitate.
- IV. Odore aromatico.

A balsamis fluidis differunt maiori copia acidi, ut ex his oleum essentiale seorsim fisti non possit. MACQUER.

BENZOINUM *Offic.* Botanicorum. LAURUS. Classis Pauci - stam. Germ. Benzoe. Gallis Benjoin. Anglis Benjamin.

LAURUS foliis. enerviis, obverse ovatis, utrinque acutis, integris, annuis; definitur planta, quæ hanc resinam officinalis largitur.

Est hæc arida, fragilis, varii coloris, ex fusco flavescens, amygdalodes optima, odoris in suffitu suavissimi, saporis excitantis, pinguis, balsamici, balsami peruviani. Inflammabilis est, spiritu vini rectificatissimo solubilis, aquæ calidæ etiam suas vires odoratas, salinas largiens, tum in decocto inspissato, flores suos in fundo exhibens splendentes, elegantissimos, HOFFMANN de Bals. ut adeo constet parte resinosa, oleosa, salina. Infusum aquæ calidæ aliquot horis Benzoinum, brevi suum salem dimittit;

GEOF.



GEOFFROY. *Acad. des Sciences* 1738. refrigerata  
aqua concrecentem in acus; MACQUER.

Ordinaria vero methodo caloris, quam sit aquæ ebullientis, paulo maiori gradu sublimantur flores Benzoës acidi & cum alcalinis effervescentes, tum in aqua calida, tum in spiritu vini solubiles sunt, verumque constituant salem essentialēm, in eo diversum a sale essentiali aliarum plantarum:

I Quod sit inflammabilis.

II Quod odorem habeat simplicis.

III Quod sit admodum volatilis.

IV Quod sit in omnibus liquidis inflammabilibus solubilis, ob oleum quod illi inest, attenuatissimum acido vegetabili nuptum.

Hoc vitii hi flores habent, quod, etiam scrupulosa attentione obtenti, nivei, diuturnitate temporis flavescant, & vasis clausis quidem citius quam apertis; ratio antea dicta est.

Praetexta sublimatione residuum paulo maiori ignis gradu actuū largitur

I Oleum tenui, clarum, odorum, in initio vix coloratum, quod tamen sensim magis consistat & coloretur.

II Spiritum acidum paucum.

USUS ipsius simplicis internus rarus. Externus tum in aliis, tum suffumigiis ad partes laxas roborandas, frequens; in pulmonum affectibus tamen, quia acries, stimulantes, sublimantur flores, suspectus, quod

hi



hi maiores tussim inducant; est tamen ubi etiam eadem hac medicina proficue inducatur, scilicet ubi pulmonis vomicæ aquæ vapore prius emollitæ rumpendæ sunt.

**P R Æ P A R A T A.** *Flores* sublimatione parati, optimi, nivei, primo sapidi, grati, dein fauces ignea acrimonia urentes, multum stimulantes, incidentes, in infarctu pulmonum, asthmate, efficaces, gran. trium, quatuor, sex, etiam decem dosi, forma pilulari cum olibano, mastiche, aliis.

*Tinctura* flavo rubicunda, temperate balsamica, etiam virtute robore, resolvente pectorali dives, syrupo convenienti, aut alio menstruo, ad guttas virginis, triginta exhibenda, etiam in externum usum aquæ mixta, quam lactescere facit, cosmetica, & ob id *lac virginalis* dicta. Magisterium satis inutile est.

**E L E M I G U M M I** *Offic. Botanicorum.* Classis ignoratur. *Germ. Gummi Elemi. Gallis Gomme Elemi. Anglis Gum Elemi.*

Quæ hunc succum resinosum in nova Hispania fert arbor, elemifera dicta recte a PLUCKNETIO fuit. Resina ipsa pellucida, ex albo viridis, lenta, odorata, leni calore ductilis, saporis balsamici, utcunque terebinthinacei, foliis arundinaceis tecta advehitur: principia balsamorum habet.

U S U S externus chirurgis maximus, vulnerarius, mundans, detergens, incarnans, in vulneribus capitatis, etiam tendinum puncturis; tum in tumoribus discutiens.

*Crantz. M.M. T.I.*

M

L A -



LADANUM. vide p. 125.

MASTIX *Offic. Botanicorum PISTACHIA.*

*Classis Naturalis Incomplet. Germ. Mastix, Gallis Mastic. Anglis Gum. Mastic.*

PISTACHIA *foliis abrupte pinnatis; resinosam*  
*hanc lacrymam, pallidam, aromaticam, masticatam*  
*nivis instar albescenteam, fundit.*

USUS MEDICUS internus scopo roborante  
multus; in catarrhis mucosis, ventriculi laxitate, fluore albo; potam veteri tussi mederi DIOSCORIDES. In  
pulvereum contrita, aut in catapofia redacta datur drach-  
mæ semis dosi; denti etiam carioso intruditur; & pro  
corpore masticandorum adhibetur, huic etiam commo-  
de piper, pyrethrum, alia acria, incorporantur. Chi-  
rurgi puluerem ossibus denudatis inspergunt, ut eo ci-  
tius coeant, & compleantur, tum spatula calida in  
emplastrum extendunt, odontalgiis utile; adhæc solu-  
ta spiritu vini resina, super alutam extensa, ischiaticis  
solatio est, multiplici experimento.

SANDARACA *Offic. Botanicor. TUNIPE-*  
*RUS. Classis Natur. Incomplet. Germ. Wach-*  
*older-Gummi. Gallis Gomme de Genévrier.*  
*Anglis Gum Sandaracha.*

TUNIPERUS *foliis sessilibus patentibus: lacry-*  
*mam officinis sandaracam dictam fundit, multum car-*  
*minativam, & adeo, ut urinam violaceo colore infi-*  
*ciat, diureticam. Dosis scrupulus unus, bis ter de die*  
*in calculo, morbis pituitosis; suffitus ad catarrhos*  
*laudatur.*

STY.



STYRAX SOLIDA *Offic. Botanicorum. Clas-*  
*sis Naturalis Pauci-stam. Germ. Styrax. Gallis*  
*Storax. Anglis Storax.*

Lacryma resinosa in calamis, seu cannulae fistulis  
 olim adiecta, calamita officinis dicta est; purior ho-  
 die, & sincerior hoc nomine intelligitur, eaque est ad-  
 modum rara; in massas rubras, fere fuscas, odoris iu-  
 cundi, balsamici, saporis resinosi, dulcis, non adeo  
 acris, compacta vulgaris visitur.

In saliva non solvitur, sed ductilis fit, prunis iniecta  
 liquatur, flammia admota ardet, & claro incendio lu-  
 cet, odoris fragrantissimi: Inde resinam dupli-  
 modo, vel per expressionem, quando prius cum vini pau-  
 xillo maceratur ad humectationem, vel per extractio-  
 nem cum spiritu vini rectificatissimo, parabat HOFF-  
 MANN *de Balsamis.*

Resina pura Benzoino analoga dum quandoque etiam  
 coctione in aqua flores largitur, & eosdem uberius sine  
 addito destillata largitur.

VIRES balsamicas laudant, ad suppuratos renum,  
 vesicæ morbos: tum tussi, destillationibus, raucedini,  
 gravedini, & interceptæ voci, asthamati, mederi affir-  
 mant. Interne raro, & non nisi forna pilulari datur.  
 Externe suffumigiis nervinis, balsamis, emplastris, un-  
 guentis recipitur. Sunt qui a gr. XV. ad XXX. pro  
 dosi præscribant.

PRÆPARATA, COMPOSITA. *Oleum stil-*  
*latitium. Pilulæ de styrace opio nimis gravidæ, ut vis*  
*styracis nulla sit. Dosis gr. III. IV.*

TACAMAHACA *Offic.* POPULUS *Botanicorum.* Classis Naturalis Incomplet. *Gallis* Gomme Tacamahaque. *Anglis* Gum Tacamahaca.

POPULUS *foliis oblongis, acutis,* hanc odoris fragrantissimi resinam, discutientem frigida, dolentia leatientem, in vomitu, passione hysterica, in suffitu, & emplastro laudatam, concedit, hanc spiritus vini in integrum solvit, dum aqua solum odorem & saporem extrahit.

### BITUMINA.

BITUMEN *Offic.* Mineralog. Classis Naturalis Minerarum, Ordo Inflammabilium. *Germ.* Erd-Harz. *Anglis* Bitumen. *Gallis* Bitume.

BITUMINA mineralia sunt corpora facile inflammabilia, & pro parte tota combustibilia, cum dense funo, & odore gravi. Hæc duplia sunt, vel *liquida*, ut Naphtha Petroleum, vel *solidæ*, ut Asphaltum, Gagates, Succinum &c. Ambo quamquam concretis sulphureis, imo ipsi minerali sulphuri in plurimis convenient, ab his tamen in gravioribus aliis recedunt, ut docet in *Hydrolog.* Cl. CARTHEUSER.

- I. Odorem specificum habent, ab odore sulphuris diversum.
- II. Cum salibus alcalinis fixis hepar sulphuris non producunt.
- III. Nec cum Mercurio vivo in æthiopie minerali ac Cinnabari abeunt.

IV. Me-



IV. Metalla sub deflagratione intacta relinquunt; quæ tamen omnia sulphuri minerali competunt.

De Bituminum principiis multum & diu quæsitum est, corpora vegetabilia resinosa esse acido minerali specificata, hodie plurimi celeberrimi viri putant, quam sententiam minime *Cl. LEHMANN* probet & dubitandi non infimum in eo fundamentum est.

I. Quod ex acido vitrioli, sociato cuilibet materiæ inflammabili, ut oleo terebinthinæ, aliis oleis, imo ipsis Resinis, verum sulphur produci viderint, **BOYLEUS**, **GEOFFROY**, et **VOGEL** ex oleo. Nunc vero **sulphur** a Bitumine diversum est.

II. Quod oleum Bituminum oleum minerale sit, distinctum a resinarum oleo; dici adhuc alia possent.

Cæterum Bitumina spiritu vini non solvuntur per omnium experimenta, & si solvantur aliqua, ut de illa bituminosa materie *Nidel bad* Helvetiæ experimenta habet **SCHEUCHZERUS** *Hydrograph. helv.* in aliis quæ insunt, ratio quærenda est; nec in oleo solvuntur ut de bitumine iudaico exstat. Acidum Nitri bitumen solvere, quod salis acidum intactum relinqueret, **MALOUIN** *Acad. des Sciences* 1746. perhibuit.

Aquæ marinæ amaritatem a bitumine dependere **WALLERIUS** *Hydrolog.* p. 71. reliquit, post comitem **MARSILIUM** tamen *Hist. de l' Acad. des Scienc.* 1710 qui evidenti experimento, artificiale aquam marinam fecit, dum viginti tribus unc & duabus drachmis aquæ cisterninæ sex drachm. salis communis adderet, & spiritus Lithanthracum quadraginta octo grana; qui pariter vidit destillatione chemica, aquæ marinæ amarorem non tolli, dum solaris auferretur & inde aquæ marinæ, maioris in fundo ma-



ris, quam in superficie eiusdem amaritiei ratione in redideret. Nuper tamen nec sulphur, nec bitumen, nec unctuosam aliquam materiem, in aquæ marinæ experimento adinveniri, contra omnes edixit, *LUCAS in essay on Waters*, sed an aqua marina amara non esset in Anglia? an solo soluto communi in aqua sale statim vera aqua marina producitur, fal tamen marinum ex aqua marina excoccum, amarum est.

### PETROLEUM Off. BITUMEN Mineral.

Classis Naturalis Minerarum. Ordo Sulphurear.  
aut Inflammab. Germ. Berg-öhl. Gallis Pe-  
trole. Anglis Rock-oil.

BITUMEN liquidum album, & rufum: prius Naphta, fluidissimum, album, facile inflammabile: posterius Petroleum, crassius fluidum obscure brunnum; utrumque Italia habet, unum, vel alterum etiam in aliis regnis, scaturientibus fontibus supernatat: in Gallis ex fonte Gabiano habetur purissimum, brunnum, tum ex fonte Rattwick Dalekarliæ, ex fonte Ozzanensi, Parmensi.

Raro sincerum in officinis habetur: Batavis arte fieri NEUMANNUS voluit, & iam in Italia oleo terebinthinæ adulterari *Hist. de l' Acad. des Sciences*. 1715. Criterium sinceri est, indissolubilitas in spiritu vini; est enim oleum minerale; factitium, in hoc, ut omne vegetabile, solvitur. Cæterum principia bituminum eadem.

Quod Proprietates spectat, tenendum est Petroleum violarum tinturam viridi colore inficere, experimen-  
to MALOUIN *Acad. des Sciences* 1746. spiritu vini non  
solvi, nec eo, etiam longioris digestionis beneficio,  
quidpiam educi *Hist. de l' Acad. d. sc.* 1715. Neque aut  
phleg-



phlegma aut spiritum destillatione vel in balneo mari-  
næ vel arena obtineri, sed sere totum transfire, hinc  
in medicina, naturali, non destillato utendum esse,  
**BOULDUC ibidem.** Ad hæc flaminam candelæ attrahe-  
re, accendi, in aqua inflammari. Naphtham omnibus  
liquidis supernatare etiam spiritui vini rectificato, cui  
 $\frac{1}{7}$  levior sit **BOULDUC ibidem;** oleo essentiali thymi,  
lavendulæ, terebinthinæ perfecte commisceri, & agi-  
tatum multis aëreis bullulis intumescere, citissime vero  
prius volumen recuperare, immensum se super aquam  
extendere, ut gutta una orgeam aquæ regat & filamenta  
eius prasinatica videantur **BOULDUC ibidem** reliquit;  
adhæc nec frigore cogi, nec concentratis acidis inflam-  
mari, & mercurium in acido nitri solutum colore in  
violaceum declinante præcipitare, **GEOFFROY Junior**  
*Acad. des Sciences 1726.*

**USUS MEDICUS** ad promovendam expectora-  
tionem utilis, ad colicam pictorum specificus, **LIN-  
NÆUS:** tum etiam ad dolores osteocopos, tæniæ va-  
let, **IDEM,** ad vermes gutt. triginta assumptæ in iuscu-  
lo, vel alio vehiculo, ad vomitum fistendum, febres  
curandas, idem pondus die paroxysmi: iuvat etiam  
temporibus, naribus inanctum, lethargicos, apoplecti-  
cos, colicos abdomini, maxillis dentium doloribus la-  
borantes. *Scheda dell' olio di sasso in parma 1746.* Est  
adhuc petroleum napelli antidotum; si enim sanguini  
a succo napelli coagulato petroleum assundatur, resol-  
vitur. *Ephem. N. C. BLAW.* Ad exusta gelu membra  
summopere laudatur, **WALLERIUS** *Mineratogia p. 253.*  
& sola certa est contra tæniæ adeo Cari frequentem  
Cairensibus medicina **HASSELQUIST** *Reise nach  
Palæstina.*

Rubrum seu brunnum externe tantum adhibetur, & valet inunctum Rheumatismo vexatis partibus.

SUCCINUM *Offic. Mineralog. Classis Naturalis Minerarum, Ordo Sulphurearum. Germ. Bernstein. Gallis Carabé. Anglis Amber.*

SUCCINUM *pellucidum* W. & tale album & citrinum officinarum, e mari baltico collectum, marinum, vel haustile, e terra excussum, fossile audit. Est vero succinum substantia bituminosa, pellucida, arida, fragilis, electrica, faporis acris, odoris specifici fragrantis accensa: liquida primo, dein magis consistit, unde succinó varia inclusa. Corpus non satis notum, vegetabile resinosum productum, acido minerali specificatum *FOTHERGILL. Transact. Philos. Nro. 472.* asseruit. Hanc sententiam a clarissimis cheinicis assumptam dudum *MACQUER* habet, quam tamen *LEHMANN* non probat.

PRINCIPIA habere bituminum omnes reliquere; acidum eius vitriolicum *HOFFMANN.* acidum salis marini, *BOURDELIN. Acad. des Scienc. 1742.* multo experimento probavit, cum non modo Argentum in aqua forti solutum præcipitet, sed ipse quoque succini spiritus aquæ forti commixtus, aquam regiam constituat, ut acidum salis solet.

Acidum salis volatilis succini, vegetable esse, *POTT. Acad. de Berlin. 1753.* Sed nec acido acetii, nec acido nitri, nec acido salis succinum patet, ex asse vero oleo vitrioli dissolvitur, solutione etiam omnibus aliis acidis præcipitata, *Cl. STOCHARD:* nec etiam cum alcali producit tartarum solubilem, tartarum tartaratum, *IDEM.* Solvi spiritu vini reliquit *Cl. GEOFFROY,*  
con-



contraria sunt experimenta, CL. STOCHARD. *Dissertatione de succino*, in eo veritas est, succinum etiam supra porphyritem in alcohol redactum parum, & difficerter spiritu vini reserari, docet tinctura officinarum. Abunde vero in tinctura caustica ex caustico calcis, & sale tartari facta. MEYERS. l. c.

Solvi vero omnibus balsamis vegetabilium, oleis maxime pressis, nil solvi in oleis stillatitiis, nec ipso succini oleo, STOCHARD. In analysi ægerrime suum destillatione largitur oleum, tumque adhuc empyreumaticum: in eo arcanum esse hi volunt, ut succinum cum sale tartari probe calcinato teratur, & affuso spiritu vini rectificatissimo destilletur, tumque obtinere aiunt spiritum fragrantem in nervorum debilitatibus magni faciendum HOFFMANN. Alii vero solum ampullum vas, & moderatum & sensim augendum caloris gradum requirunt, ut omnia eius principia rite evolvantur. Ex torrefacto succino, calcinato alumine, mixtis parari pyrophorus potest, flaminæ cæruleæ, STOCHARD.

VIS MEDICA ad externa; tum in suffumigijs ad corrigendum aerem, tum in rheumaticis ad robendas partes laxas, multis tantum utilis habetur, quod in substantia assumptum in corpore nostro non solvatur; hinc etiam inutile FOTHERGILL habet. Alii virtute roborante, nervina, in frigidis cerebri morbis, catarrhis, fluore albo, hysterica passione, multum laudant, dosi gran. decem ad triginta in ovo forbili, conserva; priores pro se chemiam, posteriores naturam habent; sed etiam priores chemico examine decepti videntur, siquidem etiam in pulvere medicamentosum esse BOURDELIN *Acad. de Sciences* 1742. & succinum in alcohol redactum, aquæ calidæ insusum, non solum

illi saporem aromaticum acidum conciliare, sed etiam evaporatum liquidum crystallos dimittere, verum sal succini, GEOFFROY *Acad. des Sciences* 1738. satis superque probarunt.

Quod si etiam hæc experimenta non superessent, ut contestantur a Cl. STOCHARD, de medicamento-ruin viribus ex officina humana potius, quam chemica, dicendum, docet effectus, & sulphuris crudi nostris humoribus non facile solvendi in corpore nostro vis, quod partita & repetita crebro dosi morbos cutaneos, verminosos, metallicos, minerales efficaciter sanat BOERHAAVE *Chem.* & fæces oolidissimas facit L. B. van SWIETEN. T. IV. *Comment.*

PRÆPARATA. *Effentia succini cum spiritu vi-*  
*ni tartarato præparata, multum antihysterica, resol-*  
*vens, pituitosis utilis: datur a guttis decem, ad triginta.*

*Oleum rectificatum succini, magnum movens, pa-*  
*ralyticis, epilepticis, hemiplecticis, illinitum: etiam*  
*interne datum, multis morbis utile, CURVI SEMMEO*  
*pug. Rerum Indicarum.*

*Sal succini volatile acidum, serofis morbis proficuum,*  
*lethargicis, apoplecticis a causa frigida conducens, do-*  
*si gran. quatuor ad duodecim. At vix aliis in offici-*  
*nis sal adeo sophisticatus! sale crudo ammoniaco cum*  
*oleo brunniiori succini, GODFREY, *Useful discoveries,**  
*sale marino cum tremore tartari, etiam sale volatili*  
*C. C. BOURDELIN. Acad. des Sciences 1742. Detegi-*  
*tur vero fraus spiritu vini, etiam aqua tepida. Recti-*  
*ficandi succini salis methodum dedit CARTHEUSER*  
*Act. Mog. T. I. Liquor cornu cervi succinatus est*  
*sal succini spiritu cornu cervi solutus, quasi neuter fa-*  
*ctus, HOFFMANN, de Selectioribus Medicamentis,*  
*ad eadem utilis: valet in convulsionibus.*

ODO-



## ODORES SUBSTANTIARUM SINGULARES.

AMBRA GRYSEA *Offic. Histor. Naturalis.*

Regnum ignotum. *Germ. Ambra. Gallis Am-  
bre Grise. Anglis Ambre Gris.*

De eius historia plurimum controvertitur: vegetabile productum post SERAPIONEM acutissimus SCALIGER. Animale, excrementum avium, vitulorum marinorum pluri mi afferunt, balænarum productum, CL. ATKINS *philosoph. Transactions* Nro. 387. productum apum, ita CLARISS. LEMERY. FORMEY. Minerale, bitumen omnes orientales, chemicorum cohors, & materiæ medicæ scriptores, sustinent, & quod non solvatur in spiritu vini rectificatissimo, confirmant *Transact. philosoph.* Nro. 433. Capturæ modus certior; post prægressam enim fortem pelagi agitatem, in mari Indico ad partem Africæ, & vicinas insulas a Mozambicis usque ad mare rubrum, modo prorsus singulari, odoratu piscatur; forma massæ, variæ magnitudinis, centum, ducentarum librarum ponderis iam capta est.

Magna est huius substantiæ differentia; optima grysea, cinerea foris, intus miculis albis splendida, liquefacta colore acus ignitæ pinguis, odorata, candi- canti laminæ imposita paucos cineres relinquens, quod nationum ultra Gangem sitarum criterium; aquæ ebullienti vase clauso rapsata immissa æquabiliter liquata, & sese in superficie extendens, quod Chinensium.

Postre-



Postremæ notæ extus albida, debilis odoris. Omnia abiectissima nigrior est, vel ex balænæ corpore desumpta, vel pice, cera, resina, storace, & aliis adulterata.

Quoad usum scire iuvat in superiori India, Persia, Arabia, in conditis, ut nos saccharo, uti, Chinenses, Iaponenses, aromatibus miscere, ut horum odor acuat: ipsa enim per se non adeo odorata est, moscho, zibetho acuanda. Analyssi chemica drachma una, dedit scrupulos duos cum semisse olei, aquæ grana quinque, salis grana duo, pulv. circiter granum unum. NEUMANN. *Transact. philosoph.* Nro. 439. in suis experimentis saleim alii non obtinuere. *Ibidem* p. 437. obtinetur tamen acidus.

**USUS MEDICUS.** Ad vitam producendam multum conferre, orientales, & VERULAMIUS credunt. Vires nervinas, spiritus languentes excitantes, non spernendas possidet, experimento BOSWEL, cui a granis decem nihil mutatum, a triginta vero pulsus fortior, plenior, celerior, placidus non molestus per omnes nervos artuum tremor, robur, lætitia, firmius ad omnes mentis actiones cerebrum, acutior auditus, perspicacior visus, etiam veneris stimulus, per horam durarunt. Vires in paralyssi promittit, sed drachmæ semis ad minimum pondere; nonne, & moscho, zibetho acuari vis potest? Cur non tentaretur in tetano cum spe successus? Ambra plenarie in corpore solvi a multis negatur, id vero parum interest, modo cognita dosis corpus mutet, ut mutat. Ambra ex balænis nigra, effœta est: estne alio argumento opus? Ad longævitatem facere exemplis LINNÆUS probat, odore nobiles in Barbaria longævos redi, & phar-

ma-



macopœum Calecutiæ annos 160. vixisse ex solo ambræ odoratu, perhibet.

**PRÆPARATA.** *Effentia ambræ liquida efficax,* difficultis paratu: officinæ quidem conficiunt. Optimæ, quæ in Hollandia, & Portugallia parantur, habentur. Docet in *philosoph. Transact.* Nro. 433. & sequenti-bus, methodum omnibus ignotam NEUMANNUS conficiendæ tinturæ cum spiritu vini rectificatissimo, ad ebullitionem fervido, in quo, quæ cæterum etiam in eodē, vel simplici, vel tartariso, non penitus solvebatur ambra, tota fere solveretur; peculiari etiam se menstruo præparasse FR. HOFFMANN, quæ vires prostratas potenter erigeret, & dolores demulceret, & placidum somnum induceret *Dissert. de Balsamis* habet, & nuper ad experiendum natus industrius Pharmacopœus MEYERS chemicos docuit Tinctura spiritus vini caustica efficaciter ambram, succinum, balsamum peruvianum solvi, sive spiritus balsamicos efficaces præparari posse; *Effentia ambræ secca*, moscho acuta, non ignobilis.

### CAMPHORA Offic. Botanicorum LAURUS.

Classis Pauci-stam. Germ. Kampfer. Gallis

Camphre. Anglis Camphor.

LAURUS foliis lanceolato-ovatis, trinerviis, nervis supra basim unitis L. Illa potissimum arbor est, quæ nobis camphoram, vel camphuram officinarum largitur, licet aliæ adhuc plures sint, ex quibus elici posset: ut ex cinnamono, zedoaria, mentha, schœnanthro, abrotano, millefolio, bellide, cardamomo, junipero, regionum calidarum; ino etiam ex plantis balsamicis nostrarum, ut rore marino, salvia, hyssopo,



po, lavendula, hormino, agerato, maiorana, thymo &c. Iaponensis, aut Sinensis *Off.* camphora est; Borneensis enim, & Sumatrana in loco natali pretiosissima, nobis invisa, admodum rara.

Quid sit camphora? non facile dictu: succus vegetabilis, inflammabilis, in aere calido volatilis, gumi non est, quia non solvitur perfecte in aqua. Non esse tamen solutionem camphoræ in aqua impossibilem, licet perfecta non detur, *Acad. N. C. Novis Actis* T. I. asseritur. Licet flagret in igne, in spiritu vini solvatur, & oleis, resina tamen non est, quod liquetur spiritu nitri, & aqua regis, ab oleo vitrioli concentrato solvatur sine motu aut aucto calore, **MACQUER**, liquetur, & sublimetur spiritu salis, quod principia resinarum in hac demonstrari non possint, cineres nullos relinquat, tota sublimetur. Sed nec sal dici potest, quia in aqua non solvitur, & accensa flagrat.

Videtur esse corpus specificum, quo nec illum volatilius, aut inflammabilius, licet igne vitri ægerrime accendatur, de **BERGEN** *Acad. N. C. Novis Actis* T. I. nec purius, cum ex centenario camphoræ sublimato caput mortuum esset solum unciarum duarum, **GODFREY**. *Treasure of Discoveries*. Cujus proprietates sint, in aere aperto in integrum fere avolare, in aqua frigida non solvi, in calida in oleum resolvi, facile accendi, flamma lucidissima nulla fœce excepta, etiam in aqua, & nive comburi, in oleis tam pressis, quam stillatitiis, spiritibus fermentatis solvi, non vero in spiritibus urinosis, nec cum siccis alcalinis salibus, nec acidis debilioribus, contra vero in fortioribus licet diversis, cum puro vitrioli oleo, & concentrata aqua forti, phœnomenis. **ACIDO** nitri liquata camphora oleum



oleum camphoræ audit; hoc camphoræ oleum aquæ instillatum decomponitur iterum & supernatantem camphoram exhibit, nullo modo ab acido nitri alterata.

PRINCIPIA camphoræ hucusque ars non detecta sunt, terra patefacta non est, acidum non demonstratum, licet his constare velit NEUMANN. Ex oleo flavo vini, & spiritu acido vinoso, camphoræ speciem produxit Cl. HELLOT. Sitne camphora æther solidus, forma concreta Cl. MACQUER interrogat?

Quæ in officinis habetur camphoræ, non lacrymæ est, sed arte educta ex hac arbore, sublimata substantia, subpinguis, candida, pellucida, in panes coacta, odoris fragrantissimi, & penetrabilissimi, saporis acris, amaricantis. Hæc demum arcana Batavis methodo purificatur, NEUMANN, in ea tamen arcani nihil est, MARGGRAF, cum tres, quatuorve partes crudæ camphoræ, uni parti extinctæ calcis mixta, sublimata, camphoram elegantissimam exhibeant, IDEM.

Hanc substantiam fervidum aroma habere, non solum ingens vis aromatica, sed & aromatis tenuitas, volatilitas, amarities, & assumptæ camphoræ in corpore humano effectus, ipse camphoram spirans sudor, loquuntur; exanthemata sèpe produxit, quod Viennæ nimium vidimus, & Tubingæ D. MAUCHARD.

VIRES calefacientes admodum, stimulantes, penetrantes, in miasmate subtili suscepito, adhuc in corpore vago, miræ, dum granorum duorum, trium dolu in substantia, vel cum pauxillo spiritus vinosi trita, sacchari quantitate perfecte mixta, assuso acetō

ca-



calefacto datur camphora, MEAD: ubi vero iam malum infedit, & inflammatio partem adurit, præposterræ. In arcendis inflammationibus tamen FR. HOFFMANN laudat *de Selectioribus Medicamentis, Et specificis*, in iisdem Acad. N. C. Vol. V. & in inflammationibus erisipelaceis internis, quæ puerpas plurimum aggrediuntur, larga dosi intra breve temporis spatium gr. XXX datam laudat camphoram D. POUTEAU *Mélanges de Chirurgie* 1760. Iterum in exanthemate, scabie, aut alia quacunque materie ab aliis partibus retroupsa, efficaces habentur, etiam spasmis, convolutionibus, morbis nervorum, teste *Davide KINNEIR Bibl. Britan.* T. I. Anno 1733. utiles camphoræ vires: adhæc in gangræna partium internarum laudatae, dosi, gran. quinque, decem, ut & in mania drachmæ semis pondere, bis de die, mane, & vesperi, maximo cum successu *Philosoph. Transact.* Nro. 400. etiam scrup. duorum pondere in nosocomio regio Edimburgensi: eadem in Hispanico Viennensi gummi tragacantha subacta datur maniacis, non æquali in omnibus successu, observante expertissimo huius nosocomii medico AUENBRUKER, de quo observatio-nes exspectamus, idem Berolini anūadvertente Cl. MUTZEL, qui melancholico unciam semis de die idque per 15 dies absque ulla aut pulsus aut morbi mutatione subministravit.

Forma pulveris sine aliis terreis non facilis: mixturæ, vitello ovi aut amygdalis subigenda camphora, addito syrupo, utcunque apta, pilularum aptissima: inconcinne in emulsionibus datur, etiam saccharo difficulter unita manens. Accensa sæpius in aquam projecta vim multam aquæ, quæ potu puerperis admodum utilis, aristolochica, communicat. Camphoram felici-

ter



ter mercurio dulci uniri, & aliis remediis mercuriali-  
bus addi, mercurialium acrimoniam infringere, eam  
minima vasa penetrare, salivationem etiam impeditre,  
**QUINCY**, quod tuum aliis, tum **Cl. TILLOLOY** ob-  
sirinatum, *Recueil periodique &c.* T. VII. at hæc du-  
dum iam novit **BATEUS**, negat tamen **Cl. ASTRUC.**  
*Lettres*. Camphoram salivationem impeditre. Expendi  
casus merentur forte raris tantum avibus observavit  
**ASTRUC.** Turbitum minerale, medicamentum  
violentissimum, camphora pacatum fit, & diapho-  
reticum.

In chirurgia ad dissolvendos tum frigidos, tum a  
sanguine extravasato sanguineos sine inflammatione  
tumores, ad impediendam putredinem ulcerum, ca-  
riein ossium, usus maximus, in suffitibus, sacculis,  
fomentis, pulvere &c. Adhæo contra ambusta præ-  
sens medicina camphora spiritu lumbricorum soluta,  
*Biblioth. Britan.* T. VI. 1735. Formicas a camphora  
perturbari, commoveri, varia ex accensa camphora  
insecta mori, etiam tineas necari, experimenta sunt  
*Bononiens. scient. & Artium Instituti*, & camphoram  
egregie anthelminticam esse **Cl. BALDINGER de mi-**  
**litum morbis** 1763. Variolarum miasma insitioni de-  
stinatum destruxisse camphoram, *The Gentleman's  
Magazine*, for September, December 1752. 1753.  
An ex hoc casu fortuito aliquid exspectandum?

PRÆPARATA, COMPOSITA. *Spiritus*  
*vini Camphoratus* externo usu chirurgis admodum fre-  
quens, non tamen semper ulceribus utilis, humores  
cogens, solida crispans, aquæ haud miscibilis; unde  
paravere, cum sale tartari destillando, spiritum cam-  
phoræ ditissimum, aquæ miscibilem, inique **NEU-**  
**Crantz M.M. T.I.** N MAN-



MANNO censuratum. *Oleum stillatitium validum*, *oleum per solutionem factum*, quod est camphora in oleo amygdalino soluta, ad inunctiones, & externum usum utile. Eodem modo cum essentia myrræ, tinctura aloes, camphora solvi potest, & concinnari ad proserpentem gangrenam, ossium cariem, remedium efficacissimum.

**CASTOREUM Off. Zoologorum CASTOR.**

Classis Mammalium. Ordo Glirium. Germ.  
Biebergeil. Gallis Castoreum. Anglis Castor.

FIBER, vel CASTOR *cauda ovata, plana*, nunquam cupatur animal, quod castoreum officinaeum suppeditat. Est vero hæc substantia humor pinguis oleaginosus, in folliculis propriis, iuxta anum huius animalis sitis, secretus, ut mel flavus, & ut sevum unctuosus, instar terebinthinae combustibilis, in camino inspissatus, siccatus. Quem usum in animali habeat hic liquor, zoographi disceptant.

Castorenin pro regione diversum est: æstimatur Dantiscanum, Prussicum, Polonicum, dein Russicum, & Americanum, infimum Canadense est. Sæpe etiam corrumpitur ammoniaco, opopanace, sagapeno, arenis, melle; odore, & solutione fraus detegitur. Opii correctorium esse multi asserunt, nemo probat.

VIRÉS calefacientes, inordinatos spirituum motus in hysterics & hypochondriacis competentes, maxime si a causa frigida exorti, omnibus laudatae: antispasmodicas, nervinas, alii deprædicant. Forma licet varia esse possit, pilularum commodissima cum gummatibus, ita, ut omni trihorio quatuor, sex granis, exhibita suo viroso odore omnes humores intestinorum



norum imprægnent consitanter. Externe inter odora-  
menta hysterica, & crudum, & accensum locum habet,  
tum etiam admiscetur emplastris, unguentis nervinis,  
& aliis. Solvitur pariter in clysmatibus colicæ hyste-  
ricæ opponendis, quibus quandoque etiam præparata  
loco simplicis addantur.

PRÆPARATA. *Essentia Castorei* sale tartari pa-  
rata, in iisdem casibus utilis, a guttis decem ad vi-  
ginti, triginta, exhibenda bis, ter de die. *Extra-  
ctum Castorei* laudabilis virtutis. *Oleum Castorei*  
per infusionem, dein coctionem, paratum, oleum  
est maxime compositum, inter eius præparata haud  
recensendum, membris paralyticis, convulsis, inun-  
ctione subveniens.

MOSCHUS *Offic. Zoologorum. Classis Natu-  
ralis Mammalium. Ordo Pecorum. Germ. Bie-  
sam. Gallis Musc. Anglis Musk.*

MOSCHUS liquor pinguis est, unctuosus, sub-  
acris, odoris miri, caput tentantis, vesicula, sub um-  
bilico animalis moschiferi latente, secretus, siccatus.

An verus semper moschus, qui ad nos adfertur? multa dubitatio; immensa copia per totum terrarum or-  
bem dispensata, in China æquali argenti pondere em-  
pta, tum, ne genuina extra regionem divendatur sanies,  
publica lex, omnem dubitationem diluunt: aromatario-  
rum etiam, fibras carneas in moscho manifeste demon-  
strantium, experimenta, magis adhuc confirmant, ut  
clarum sit moschum nostrum officinarum ex sanguine,  
& carne huius animalis contritis, cum exigua hu-  
ius saniei portione remixtis, factitium esse.

Cæterum mirabile satis, quod ex miscela diversorum  
similis fragrantia: ex Galbano, Sagapeno, Bitumine

N 2 iudai-



iudaico, Opopanace mixtis observavit LEMERY, *Acta Paris.* 1706. ex miscela olei succini rectificati & spiritus acidi nitri concentrati, *C. MARGGRAF script. Chemic.* Berol. 1761. In nonnullorum corruptione idem odor; in examine bilis iam semiputridæ *Illust. L. B. van SWIETEN*; sic etiam vedit hominem cuius axilla sinistra in calore æstivo moschum oleret, dextra hoc odore libera. Aliud est exemplum presbyteri anima fœtida laborantis, & dum morbus immineret, moschum spirantis. Sunt etiam pisces, qui moschum spirant, ita truttarum species sæpe, observantur & plantæ, ita Carduus Mollior I. clus.

Triplieis speciei moschum facere Chinenses solent. Nobis optimus est *Tunquinus*, ordine bonitatis succedit *Bengalensis*, tum est *Moscoviticus*. Odoratissima substantia indelebili odore, solo igne destruendo, omnia inficit. Acida plurimum, spirituosa minus odorem moschi exaltant. LINNÆUS.

USUS MEDICUS, olim, ubi stimulandum erat, exigua dosi rarus: Medicamento, uti Chinenses docuerre, a granis decem ad quadraginta octo. In Hydrophobia ad grana sedecim, cum cinnabaris nativæ, & facilitiæ ana granis viginti, datur pro dosi: in Convulsionibus a tribus ad decem grana, L. B. van SWIETEN propria praxi proficua: etiam *Institut. Bononiens.* T. III. GALEATI, ubi tamen, & casus excitat, salute non exceptos ab eadem. Adhæc profuit minori, aut maiori dosi, pro vi morbi, & corporis constitutione: profuit Maniacis post aquarum submersionem: maiori dosi etiam retrocedentia exanthemata repellit, & nervos liberat, per totum corpus penetrabilissimum medicamentum. Conveniatne Hystericis? magna quæstio: validum est, corpus turbans, & caput tentans; merentur tamen



tamen confirmari observationes D. GARCIN, qui septentrionalibus olim frequentem moschum, hodie exulem habet, sed etiam plures hodie Hystericas ibi, quam olim numerat.

Nec ignobile penitus id argumentum est, quod hodie in locis meridionalibus, uti etiam Indiis, ubi maximus huius usus, Hystericarum minor numerus, quin mulieres Batavæ natali solo admodum hystericae, ubi Bataviam veniunt, negotiorum causa, tota vita his passionibus, licet omnes plateæ moschi odore infectæ sint, imminentes degentes; adhuc magis urgent. Quodsi & peregrinationi aliquid datur, medicamento non omnia derogari possunt. Externus in pulveribus, saponibus, unguentis, emplastris, odoris gratia, moschi usus multus. Dum variolæ Upsaliæ funestissimæ, omnes in vicinio abriperent pueros, moschum liberorum suorum collis Cl. LINNÆUS appendit, quo id impetravit, ut pestifero hoc malo intacti permanserint. *Amoenit. Acad.* Vol. V. *exanth. viva.*

ZIBETHUM Offic. Zoologorum VIVERRA.

Classis Mammalium, ordo ferarum. Germ. Ziebeth. Gallis Civette. Anglis Civet.

VIVERRA cauda annulata, dorso cinereo nigro-que, undatum striato, L. definitur animal, quod ex folliculo magno, inter anum, & genitalia sito, in utroque animali, tam mare quam foemina, largitur substantiam, unguinosam, ambrosiacam.

Quod nec nimis molle est, nec nimis consistens, album, suavis, at fortis odoris, probatur: slavecens iam ætatem habet, annosum fuscum est.

N 3

USUS



USUS MEDICUS nobis rarus, septentrionalibus frequens, ob vires diaphoreticas, nervinas, soporiferas, & exanthemata pellentes, ut etiam laudetur in Variolis, Morbillis, Scabie, Colica, LINNÆO.

His etiam iungi rerum subtilium, arte chemica præparatarum, odores possunt. Ut:

SALIUM VOLATILIUM, OLEOSORUM,  
SPIRITUUM: SALIS AMMONIACI  
C. C.  
ALIORUM.

---



---

## BALSAMA LIQUIDA.

**Q**uae suavissima fragrantia sese recommendarent, putredinis, & corruptionis vim tam externo, quam interno usu prohiberent, veteribus BALSAMA dicta sunt; corpora oleosa, odorifera, linimenti, vel unguenti consistentia, quæ vel natura, vel arte, ex vegetabilium partibus stillant, vel proliciuntur, hodie vocantur. Hæc in nativa, & arte facta dividuntur, priora adhuc in liquida, & ficca. Liquida naturalia, sunt balsamus Toletanus, Peruvianus, Copaiæ, Palinæ, Terebinthina &c. Sicca, Benzoe, Styrax, Calamita, Ladanum, Myrrha, Masticæ, &c.

PRINCIPIA CONSTITUTIVA aqua, spiritus acidus, subpinguis, salinus, oleum multiplex,  
**BOERHAAVE.** *Chem. T. II.*

USUS



USUS. Antisepticus, vulnerarius. Vide BOERHAAVE.

AMBARUM LIQUIDUM. Duplex, incisionis, & coctionis: vix in usu est, tamen fistulis eum successu infundi perhibetur.

BALSAMUS de COPAIVA itidem duplex, albicans, odoris gratissimi potior; aureus, consistens magis, deterior; uterque Peruviano calidior, & quidem non solum urinam violaceo odore, ut alii solent, inficit, sed etiam sapore amaro imbuit, ut ob vim abundantioris stimuli in gonorrhœa maiori dosi periculosus sit. Cæterum vis aliis par, sed quia leviori pretio habetur, frequentiori in usu & quia stimulantior, multo circumspectiori esse debet: datur a guttis aliquot ad decim, quindecim; cum tintura tartari, antimonii, in essentiam redigitur, in nervorum affectibus frigidis, in glandularum infarctibus, in fluore albo præsertim, si cum vino Hispanico sumatur, præstantissimam. HOFFMANN *de Balsamis*. Resinam radicis Angelicae hocce balsamum referre, & huic substitui posse, SCHMIDELIUS contendit.

BALSAMUS PERUVIANUS duplex, albus, seu incisionis pretiosissimus: niger, seu lotionis vel coctionis, vilior, nobis familiaris, multum aliis acrior.

Est nervorum, tendinum, periostei læsionibus, puncturis, contusionibus, exulcerationibus, parum calefactus, instillatus admodum utilis, etiam unguentis, linimentis, emplastris mixtus, ad alios morbos chirurgicos adhibetur. Internum usum in colica pictonum,

N 4 aliis



aliis incassum adhibitis, drachmæ semis pondere pro dosi efficacem SYDENHAM, ad paralysem HOFFMANNUS, experti; ad ulceræ internæ pulmonum, vesicæ, renum, saccharo, syrupo, vitello ovorum subactuum, olibano, sarcocolla mixtum, laudabilem ALII, dum infuso vulnerario, ut vis aromaticæ, quæ febrim hepticam magis semper exacerbat, temperetur, excipitur; in asthmate etiam LINNÆUS laudat, & in spiritu rosarum rectificatissimo nobilissimarum virium effentiam constituere FR. HOFFMANNUS *de Balsamis*; huius balsami portionem æquali pondere salis tartari probe mixtam, & tritam, addito spiritu rosarum rectificatissimo, & facta dein in arena destillatione, tam fragrantem, & delicatulum largiri spiritum, quo non alia medicina, maxime si ad solutionem ambræ, vel moschi adhibeatur, præstantior sit, interno usu mire fovendo, & recreando fractas vires & genus nervosum.  
IDEM *ibidem*.

Dosis gutt. quatuor, sex, bis, ter de die: in syrupo exhibetur, vel commode cum aquis vitæ stomachicis, nervinis miscetur. Oleum eius aquæ supernatat, prompte spiritum vini in se recipit, HOFFMANN *de Balsamis*; huic balsamo populi albæ vis substitui potest, SCHMIDELIUS.

BALSAMUM TOLETANUM in America ex arbusculæ vulnere stillans, colorem aureum, odorem limoniorum habet, siccum, & fragile ad nos adfertur, calore mollescens. Ad tumores œdematosos, scrophulas, parotides, valere CLSIUS. Raro apud nos, frequentissime apud Anglos in phthisi, & internarum partium ulceribus, datur. Hoc balsamum in spiritu vini tartarisato rectificatissimo solutum, gratissi-

tissimam non minus quam efficacissimam, ad plures internos, & externos usus, essentiam suppeditat. F.R.  
HOFFMANN *de Balsamis.*

OPOBALSAMUM triplex: incisionis rarissimum, primæ coctionis etiam admodum rarum, ultimæ, Europæis officinis familiare: non submergitur in aqua, sed in eius superficie instar telæ aranearium diffunditur, & hæc castitatis nota est.

Vires aliis consimiles habet; specifice diureticas, LINNÆUS, item in asthmate, nephritide, podagra, stranguria, efficacissimas NICOLAI, *de Balsamo de Mecha.* Cum parte una huius balsami, duabus olei amygdalini, aquæ q. s. fit unguentum ad perniones, loca frigore exulta, utile. Rami huius arboris Xylobalsamum: baccæ carpobalsamum dicuntur: vix præscribuntur. Abietis, pinique resinam huic balsamo substitui posse, SCHMIDELIUS.

OLEUM PALMÆ ex contusis fructuum nucleis paratur, in loco patrio eduliis, coloris & odoris gratia, mixtum. Butyri balsamici apud nos consistentia, ad rachitidem, paralyticas partes, multum recom mendatur unctum. Cæterum etiam iniectionibus anatomicis aptissimum habet QUEMALZ, ea proportione, ut ceræ, pro maioribus vasis explendis, olei huius tertiam partem, pro minoribus, quar tam adderet.

### STYRAX LIQUIDA. *Offic. Botanicorum.*

Liquidambarum, Classis ignoratur. *Germ.* Weicher Styrax. *Gallis Storax liquide.* *Anglis liquid Storax.*

BALSAMUS liquidus est, terebinthinaceæ consistentiæ, semipellucidus, coloris plumbei, cinereo

N 5

fusci



fusci, odoris validi styracis, saporis multi aromatici. Quid proprie sit? disceptatur. Arte factam, ex specie visci aucuparii, habet PETIVER, in *Transact. Philosoph.* In saliva non solvitur, digitis, ut terebinthina, tenaciter adhæret &c. Estne distincta a liquidambaro officinarum? etiam disceptatur, ut nonnulli sub diversis capitibus recenseant ambo, alii sub uno cogant.

USUS internus rarus, externus frequentior, TOURNEFORTIO in *Actis Parisinis* laudatus in gangræna, quod & unguentum de styrace in nosocomiis Parisiencibus confirmat. Cæterum inter odoramenta adhuc recipitur.

TEREBINTHINA. *Offic. Botanicas* diversa nomina habet. *Germ.* Terpentin. *Gallis* Terebenthine. *Anglis* Turpentine.

TEREBINTHINA ex diversis effluens arboribus diversa, officinis triplex est. Cyprina antiquissima, suppeditatur ex Pistachia foliis impari pinnatis, foliolis ovato-lanceolatis. Hæc vulneraria, diuretica, gonorrhœæ, & ulceribus utilis. Vera admodum rara, DUHAMEL.

VENETA ex Larice folio deciduo, HAL. circa Brigantionem, & in Alpibus Italiciis paratur, vulneraria diuretica, etiam antiseptica, habetur. Ex hac spiritus, oleum. Terebinthina Veneta cum polio montano ad consistentiam massæ pilularis cocta, per septendecim menses adhibita, drachmæ unius singulo mane dosi, lenire podagram GODOFR. HAHN in *Historia*



*istoria podagræ*, curavit etiam in aliis hunc morbum. *ibidem*.

COMMUNIS. Ex *Pinu foliis geminis, primordialibus solitariis*, L. destillat, magis viscosa, minus pellucida, albicans, odoris ingrati, saporis nauseosus, hinc in substantia medicis non adhibetur. Ex hac spiritus, oleum destillatur; terebinthina etiam coquitur, diuretica, mundificans. Per anum in intestinorum exulcerationibus, diarrhoea phthisim frequente, colliquativa, vitello ovorum soluta drachma una addita uncia semis theriacæ Andromachi lactis recentis unc. quatuor, iniicitur feliciter. Van SWIETEN; in ulcera scopo digestivo mundificante, quæ etiam digerit, datur. Laudat etiam in scorbuto LINNÆUS. Suffitus anno exceptus haemorrhoides cæcas, dolentes lenit, *Ephem. N. C.*

ARGENTORATENSIS paucis recepta officinis ex Abiete, *foliorum apice bifido*, HAL. stillat. Hanc Venetæ præfert QUINCY. Terebinthinæ balsamis Americanis non cedunt, & urinam etiam, quandoque salivam, violaceo colore inficiunt; quin urinæ difficultatem, & tenesimum a nimia venere, superavit hoc balsamo in *Ephem. N. C. MAUCHART.*

#### PRÆPARATA.

OLEUM ÆTHEREUM, male spiritus terebinthinæ, membranis, nervis, tendinibus, laceratis, punctis, sectis, calide infusum incomparabile anodinum, antispasticum, BOERHAAVE. Arteriis, venis, in magnam haemorragiam læsis, multum calidum, splenii appressum, promtissimum stypticum, IDEM. Tumores frigidos, lentos, mucosos, calidum affrictum discu-



discutit, partes etiam a frigore defendit, IDEM. *Oleum terebinthinae spissus* etiam anodinum, sed magis emolliens, interne sumtum in melle, vel alio syrupo, ischiatricis, & rheumatismo laborantibus, auxilio est, minori dosi; alias enim diabetem, stranguriam, urinam cruentam, febrem inducit, ut oleum essentiale; STEDMANN *Society of Edimburgh T. II.*

TEREBINTHINA cocta forma pilulari interne dari potest, hæc, non cocta imbecillior, non tamen effœta.

COLOPHONIA ossibus denudatis, periosleo, tendinibus lœsis, cum effectu inspergitur, etiam fluxui feroſo articulari, pulvis inspersus medetur, prodest etiam in ani procidentia in suffitu.

RESINA ABIETINA diverso in diversis regionibus artificio obtinetur, vulgo ex vulneratis tædis, exstillas resinosus humor in consistentiam siccam in aqua coctus, sub nomine huius resinæ in officinis habetur; atque hæc ratio est, cur flammæ candelæ admota etiam non continuo ardeat, sed difficerter, & cum aquosarum partium deiectione, & explosione inflammetur.

USUS MEDICUS LINNÆO in scorbuto & arthrite laudatur, & nuper aquam medicamentosam, aquæ picis æmulam ex ea præparavit CL. LANGHANS; dum Resinam abietinam albam in mortario ferreo in pulvere tenuissimo redactam sensim curaret emulgeri aqua, donec eadem lacteum contraxisset colore, tuncque in lagenas infunderetur in usus servanda. Vitrum omni bihorio in dosim dedit in tussi etiam perti-



pertinacissima phthisica: in casu vero ubi sputa essent tenaciora, libram huius aquæ superfundebat manipulo scordii, quan sic aliquot diebus, vel in sole, vel in loco calidiori digereret, digestam propinaret. Aqua hæc non adeo nauseosa est, ut aqua Picis, terebinthinaeum saporem, non tamen ingratum habet. Observavi siccare nimium, & sputa supprimere, et si solum unciam unam sumereim, ad tres ænophori quadrantes.

PIX LIQUIDA quæ & CEDRIA liquida dicitur, ex Pini, Abietisve radicibus, & pinguioribus aliis harum arborum partibus, per ignem eliquata resinosæ materies, maxime ex Suecia, Norvegia, & Thuringia nobis adfertur. De Suecica retulit *Illustr. ACAD. N. C. Cl. Vir WALLERIUS*, in *Vol. IX.* duplē esse, viliorem unam, nobiliorem aliam, viliorēm per destillationem largiri.

I. Aquam instar aceti acidam, quæ simul amara sit.

II. Oleum album sapore igneum, & quod in recessu adstrictionem aluminosam habeat, & cum spiritu flammifico nitri placide uniatur, expulis fumis rubris, & relicto in fundo coagulo; cum oleo Vitrioli maiorem efficiat fumum, & calorem, & maius coagulum; cum spiritu salis ammoniaci prompte se commisceat, supernante cuticula; cum oleo tartari per deliquium effervescat, ac rubeat.

III. Oleum rubicundum, quod recens tenue successu temporis spissescat, in igne prompte & fortiter deflagret, aquæ destillatæ innatet, concusione vero in globulos rotundos minores cedat, qui in aqua tarde fundum petant, in al-

coho-



cohole brevi, nulla tamen tinctura alcoholi communicata, oleo etiam in posteriori hoc liquido resinoso facto.

IV. Caput mortuum durum fragile lithantraci æmulum ignescens quidem carbonibus iniectum, sed nec fumans nec flagrans. Constituit hocce ferre  $\frac{1}{10}$  partem Picis vilioris.

Nobilioris vero nec Suecis venalis, nec exportatæ picis, aliis etiam artificiis elicite analysi obtinetur

I. Oleum tenue pellucidum flavo - fuscum odoris grati, supernatans; huic gruinosum coagulatum, albescens aliud immiscetur. Ex hoc OLEUM TEMPLINUM destillatur, oleo terebinthinæ de resina abietina destillato, longe præstantius; a destillatione resina, odore & sapore Balsamo de Meccha conveniens, residua est.

II. Aqua acida, quæ duplex fere sit: hæc nigro viridis, alia fusca; acidæ ambæ, oleosæ ambæ, & commiscibiles.

III. Ipsa Pix vulgari præstantior, clara, pura, tenuis, consistentiæ vernicis ex oleo lini parati.

IV. Sub hac pice quiescente deponitur oleum fuscum acidum, odore fere carens, & vix ignem concipiens.

Aqua cedriata more Barkleyano ex vilioris cedriæ & aquæ puræ anaticis portionibus rite confecta in experimentis sequenti modo se gessit; coagulabatur & præcipitationem producebat cum liquore vini probatorio, syrum violarum viridi colore tingebat, solutionem Lacmus rubescente; admoto sale tartari soluto,



to, nec movebatur nec mutabatur; evaporatæ unciæ duæ dedere extracti aquosi drachimam, saporis instar aceti acidi, & amygdalarum amararuin, amari, quod tamen oleum tartari per deliquium non moveret, sed soluim colore flavo rubente tingeret. IDEM Vol. eodem.

Tum etiam in Volumine X. eidem Acad. N. C. per multa experimenta, examen & differentias picis norvegiæ & thuringicæ proposuit CL. VIR B R E V R E R; norvegicam minus simplicem & sinceram, actuositatem tamen ob oleum atherum, & magis medicamentosam ob salem acidum, oleoso-resinosam vero magis thuringicam nec adeo efficacem adinvenit, ut & posterioris infusum debilioris odoris, saporis paululum tantum acidi esset.

USUS PICIS internus Suecæ domesticus, ut in Vario lis antiquissimus: externus in erysipelate vulneribus, ulceribus etiam receptus. Aqua Picis in America omnium primo in usus medicatos deducta est, dein celebritatem in plurimis casibus in Anglia habuit Auctore BERCKELEY Episcopo Hiberno. Confectionis modus sequens est: Picis liquidæ pars una cum aquæ puræ partibus duabus cochleari ferreo quatuor sexve minutis agitatur, & commiscetur, commixta per quadraginta octo & ultra horas in quiete reponuntur, donec omnis pix in fundo confederit, quo facto aqua despumatur, decantatur, lagenis clausis servanda. Dosis pro ratione morbi librae I. II. nocturni spatio etiam libra una omni hora. Sed niuum laudavit BERCKELEY. In asthmate, ab hydrope pectoris dependente, funestum eventum notat CL. WALLERIUS Acad. N. C. Vol. IX.

Cæterum balsamica est in morbis cutaneis, lepra egredia & in lue venerea adhibent Cairi HASSELQUIST.

exter-



externe in ulceribus & fistulis utilem deprehendit LEBEAU. *Recueil periodique &c.* T. VII.

ESSENTIA picis liquidæ HOMPSWOOD adeo celebrata, nihil aliud est, quam simplex extractio picis liquidæ Norvegicæ, cum spiritu vini tartarisato parata, BREVRERI testimonio *Acad. N. C.* Vol. X.

PIX SICCA artis potius, quam naturæ productum inter dropacismos Chirurgis olim tantum usurpatum.

## BALSAMA ARTIFICIALIA.

**I**n infinita tamen simplicia, quam composita: simplicia acido nutrita conflantur, composita variis ad se commixtis exurgunt.

BALSAMUS ARCAE sevo cervino, terebinthina, gummi elemi, & axungia porcina confectus, mundificans, digestivus.

FINIS TOMI I.





CLASSIS QUARTA  
**EMOLLIENTIUM.**



MOLLIENTIA habeantur, quæ stri-  
ctas nimis solidas partes laxant, mol-  
lient rigidas, exsuccas humeclant,  
fatu, balneo, potu, iniectione, vapore.

Locum habent, ubi inacies, ariditas, contractio,  
in toto corpore, vel in quadam parte adsunt, BOER-  
HAAVE.

Tota fere gens columniferarum emolliens est, LIN-  
NÆUS. Emollientia omnia inspissata, gummata arte  
facta sunt, MACQUER, cum gummata naturalia sint  
succi mucilaginosi insolatione inspissati, GREW. of the  
*generation of liquors in the vegetation, of Trunks §. V.*

A 2

AL.